

Digitized by Google

4.3.130

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

15.a

30 R 16

Digitized by Google

HEN BYLER

LIBE ORUM

partim TORUM

S,

JO^PHI TEI denique de rebus a Re gibus uriverſoq

FRIDERICI H *ici* Filii, Electorum Palatinorum Rheni phia ab OTTHONE WITTHELSBACHIO ad ctam *etc.* cum notis *Cl. Editoris* ex Aut nunc primum editam.

GEORGII SO Conſervatione laudatiſſimae Academiae

Apud XXXIII,

4.3.120

HUMANO ET ERUDITO

LECTORI

S. P. D.

HENRICUS CAROLINUS VAN BYLER.

ANimus erat ſat ampla tecum agere praefatione, mi *Lector*, ut inſtituti noſtri rationem te edocerem; verum intercedit *Typographus* (noſti procul dubio illorum hominum ingenium), qui, dum LIPSIAM cogitat, nos breves eſſe jubet.

Paucis ergo accipe, dum alia FAVENTE DEO deinceps tecum ediſſeram, nos hic veſtigia Cl. GRAEVII, GRONOVII, BURMANNI, OTTHONIS, FABRICII, CRENII,

 alio-

aliorumque premere, qui nova editione *libros rariores* parabiles reddiderunt.

Quos inter Joseph Teixera merito numeratur, quod vel harum rerum ignaros Cl. Christoph Augustus Heumannus *in Conſpectu Reipublicae Literariae cap. 6. §. 26. p. 178.* docebit. Ubi tamen male Texeira pro Teixera legitur, niſi forſan nomen ipſius a diverſis diverſimode pro idiomate linguae ſcribatur. Nam in Cl. J. Burchard Menckenii *Compendioeſes* Gelehrten *Lexicon.* P. 2. p. 1235. Texera dicitur.

Fuit autem hic Joseph Teixera natione Luſitanus, ac ordinis Dominici Monachus, Theol. Profeſſor et Concionator Aulicus. In *Galliam* fugit cum Philippus II. Hiſpaniarum Rex Portugalliam ſibi armis ſubjiceret. Illic hoc de *Portugalliae ortu* etc. *Compendium* Pariſiis anno M. D. LXXXII. in 4. prodire juſſit.

Varia praeterea ſcripſit hicce Auctor, veluti *Exegeſin Genealogicam* ſive *Explicationem Arboris Gentilitiae Gallorum Regis* Henrici IV. ut et *Epitomen rerum*

rum ab Henrici Borbonii Majoribus geſtarum, *alia*que, de quibus videri poſſunt Nicolai Antonii *Biblioth. Hiſpan.* Doct. Menckenius l. c. *alii*que.

Obiit hic Vir doctiſſimus anno M. D. CI.

Multi exſtant Scriptores, qui *Portugalliae* Hiſtoriam literis conſignarunt, quorum Syllabum dant Alexander Fichetus *in Arcana ſtudiorum omnium Methodo*, pag. 80. col 2. et p. 133. col. 1. ex editione Celeber. Joh. Alberti Fabricii, *Lipſ.* et *Francof.* 1710, et Doctiſſ. Christianus Gryphius *de Scriptoribus Hiſtoriam Seculi* XVII. *illuſtrantibus*. cap. 3. §. 7. pag. 198. *et ſeqq.* Quibus adde Hieronymum Osorium *de rebus Emanuelis Luſitaniae Regis*, quae et *Belgico* leguntur *idiomate* cura Francisci van Hoogstraeten in 12. et Castanendae *Annales Luſitaniae*, alioſ*que*, quos jam, brevitati ſtudens, praeterire cogor.

Illud unum tamen addere lubet, *Marchionem de* Montaira, qui nobiliſſimos inter eos eſt Viros, cui cura *Academiae Regiae Ulyſſiponis* demandata, orbi erudito

 poſt

poſt aliquot ariſtas daturum *Hiſtoriam Portugalliae*, quae facile omnes, quae hactenus prodierunt, ſuperabit: dum nobiliſſimus hicce Vir hujus Regni Delineationem ab illis ipſis temporibus, quibus Romanorum victricibus ſubjectum fuerit armis, communicare allaborat.

Interim TEIXERAE noſtri *Compendium*, ex variis et probatis Auctoribus confectum, Lectoribus gratum fore mihi perſuadeo.

Notas ipſi adjicere primum conſtitueram, at deinceps illud abjeci conſilium: quoniam, ſi ea, quae mihi in ipſo πονηρῦ κομματος videbantur, notarem, aliaque adderem, in nimiam excreviſſent molem. Et ſane pauca, vel nulla potius occurrunt, qui eruditum morari, vel fallere poſſunt.

TEIXERAM ſequitur FRIDERICI HENRICI *Proſopographia Electorum Palatinatus Rheni* etc. etc. Egregiae ſane fuit indolis hic Princeps juvenis, cujus ſtudiis Cl. et Doctiſſ. HENRICUS ALTINGIUS praefuit, qui conſilio optimo hanc hiſtoriam ipſi conſcribere, ut ſtilum exerceret, injunxit: *viro Principi* enim HISTORIA *lumen* et

ma-

magiſtra eſt; imo illa, *quoquo modo ſcripta, delectat. Sunt enim homines natura curioſi, et qualibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui ſermunculis etiam fabelliſque ducantur*, uti Plinius *Lib.* 5. *Epiſtol.* 8. loquitur. Quapropter praeclara ingenia non ſolum iis delectantur; verum et Principes adinventi qui eas poſteritati tradiderunt.

Quis eſt, qui Caesaris *Commentarios*, Caroli Magni (a) librum *contra Sacras Imagines* etc. ignoret? Hinc eſt, quod Maximilianus I. (b) rerum a ſe geſtarum Annales eleganti filo contexuit, et Carolus IX. *Rex Sueciae* ſcripſit ſermone po-

(a) Vid. de hocce *Caroli* libro eruditam Diſſertat. in *Bibliotheca Bremenſi*. Confer etiam Joh. Molleri *Homonymoſcop.* c. 6. §. 26. pag. 549. *et ſeqq.* Guil. Cavei *Hiſt. Litter.* Part. 1. p. 347. qui tamen varia commiſit vitia in *Eli Phili*, ſub quo nomine ut editorem latere Joannem Tilium dudum docuere Eruditi. Novam hujus libri editionem ac illuſtrationem debemus Cl. Christ. August. Heumanno.

(b) Teſte Pirkheimero apud *M. Adami de Vitis JCtorum.* p. 26.

pulari (c) *Chronicon Regum Sueciae*, quique *rythmis Suecicis Hiſtoriam vitae propriae, rerumque a ſe geſtarum compoſuit;* ut jam *alios* bene multos praeterea, qui apud eos, qui de *Eruditis* ſcripſerunt *Principibus*, videri poſſunt.

Me non fugit, multos et olim et jam, proh dolor! in ea verſari opinione, aſſiduum illud literarum ac ſcientiarum ſtudium non ſolum imperanti indecorum; verum etiam circa altiora, ac majora reipublicae occupato illicitum. Unde Hadrianus Princeps, quod impenſius Graecis ſtudiis eſſet imbutus, a nonnullis *Graeculus*, Julianus *literio*, et Marcus Antoninus per ludibrium a quibuſdam vocatus fuit *dialogiſta*. Hinc ſane eruditi Principes pauci exiſtunt, ac nulli ferme, qui cum *Walachiae* Principe, Joan. Nic. Maurocordato, et *Moldaviae* Principe Demetrio Cantemirio componi poſſint.

Ma-

(c) Ita refertur a Cl. Scheffero *in Suecia Litterata* p. 13. Vid. Celeb. Christ. Gryphius. l. c. cap. XII, §. III, pag. 550.

Magnates enim (d) „ vel gravioribus in-
„ intenti minore cura liberos educare ſo-
„ lent ; vel liberorum curam abjicientes
„ aliis eam demandant, inque eos reji-
„ ciunt, qui ſaepius in aula peſſimi au-
„ diunt juventutis depravatores; vel etiam,
„ dum ſimiarum ritu, ſobolem complexu
„ necantium, liberorum indolem tenui ac
„ molli corrumpunt educatione, eos ad
„ virtutes non hortantur ſeverius, neque
„ alios id facere permittunt, ſed potius fa-
„ cientes odio proſequuntur; a vitiis non
„ abſterrent acrius, neque nimium abſter-
„ reri volunt, ne forte ſupra modum ap-
„ pareant religioſi. „

Sane quod Justus Lipsius alibi tradit, et hodie jure merito de multis dici poteſt. Sic fatur Vir ille Doctiſſ. *Quis e noſtra*

(d) Juſta eſt haec querela Celeb. Pauli Voet *in Notis in Herodiani Marcum et Commodum Imperatores* pag. 41. 42. Cicero 5. *Verr.* eleganter ait: *Qui non recte inſtituunt atque erudiunt liberos, non ſolum liberis, ſed etiam reipublicae faciunt injuriam.* Vide quae dixi *in Diſſertat.* mea *de abominabili Sodomiae crimine*, pag. 208. *et ſeqq.*

juventute legitime inſtituitur in literis? quis Oratores aut Philoſophos tangit? quis Hiſtoriam legit, illam rerum gerendarum quaſi animam? Praecipitant enim parentes vota ſua, et pueros vix ſeptuennes protrudunt ad Juris ſcientiam. Scilicet omnibus artibus antiſtat ſpes lucri; et formoſior eſt nummus auri, quam quicquid Graeci Latinique delirantes ſcripſerunt.

Hinc eſt, quod hi homines alto ſupercilio eruditos derideant, contemnant, ac proculcent; ſeque ſapientes ſtolide imaginentur, cum helluari, venari, piſcari, pejerare, alioſque illorum poteſtati utcunque ſubjectos divexare quam maxime valeant. Audies nonnullos exactius genealogiam canum vel equorum explicare quam majorum, vel confeſtim aliquis Eruditus Regum valeat ac potis ſit. O lepida capita! Quid? quod merito miraberis, hi nomine tenus homines, omnem enim dices rationem ejuraſſe, Doctorum ſententias, dicta, ac hypotheſes, cenſorum ad inſtar, tanta cum auctoritate ac audaci

daci impudentia audent traducere, ac ſi ab ipſo Demoſthene vel Cicerone eſſent inſtituti. Quicquid normae affectuum, quicquid illorum intereſſe repugnat, ut ſaevi proſcribunt tyranni. Quoties illos non audivi rudere: *Haec vera non ſunt.* Ac ſi omnis cum ipſis ſapientia ac cognitio nata forent! *Haec nunquam audivi.* Ac ſi nihil haec capaciſſima fugeret ingenia; ac ſi veritas rei ab illorum auditu penderet! Alius interſtrepebat: *Haec nova ſunt.* Ut ita ſub novitatis titulo ſtatim in exilium ad terras alio ſub ſole calentes mitterentur. An fugit hos bellos homines ea, quae jam *vetera* dicimus, pridem *nova* fuiſſe; et quae jam *nova* deinceps vetera evaſura? An hi molles ignorant *nova* antecellere *priſca*, ac iis antecedere? cur alioquin ſe centonibus non involvunt? Edocebo, ſi illos praeterit, non *omnia* illa eſſe *nova*, quae nonnullis eo nomine veniunt. Priſcis jam ſunt celebrata ſeculis, denuo in lucem ſcenamque producta. Quod illos, ſi inſpicere ac conſulere voluiſſent, edocere potuerant veterum monumenta.

Qua-

Quapropter jam recte Cicero *de Orator.* ad ſui aevi homines ſtilum dirigens, dixit: ***Ego nova ſaepe videor dicere, cum per-vetera dicam, ſed inaudita pleriſque.*** Denique quid aliud agunt hi homunciones? quam palam profiteri, ſe in Judaeorum, vel Pontificiorum ſtupido errore transire caſtra. Illi enim temporibus *Optimi* Servatoris mente occaecati exclamabant τις η διδαχη η καινη. Hi furiis agitati infernalibus vociferabantur: ***nova*** ſunt, quae ***Zwinglius***, quae ***Lutherus*** et praeſtantiſſimi illorum ſocii docent. Imo linguam Hebraeam Graecamque, quid? Novum Teſtamentum ut novitium ac nuper repertum proſcribebant. Vellem, ut hiſce exemplis cautius mercari diſcerent, et, ſi aliquo adhuc polleant judicio, illud in aliorum normam erigere, omniaque illi pro auctoritate ſubjicere, jam admoniti, in poſterum deſinant. Niſi omnium, imo puerorum ſermonibus vapulare velint. Neque tamen illa mihi ſedet opinio, ut ***Principem*** vel ***Nobilem*** muſeo perpetuo incluſum velim. Exulet talis ſententia. Ita

ſtu-

ſtudiis excultum volo, ut firmior adverſus fortuita apte regnare noverit, ac magni Agricolae imitetur exemplum, *qui ſtudio ſcientiae flagrantem animum coërcuit, tenuitque, quod eſt difficillimum ex ſapientia modum.*

Haec rite perpendens (e) Fridericus V. filium hunc in omni ſtudiorum genere imbuendum Viris eruditiſſimis tradidit. Rectiſſime cum Alphonso Arragoniae Rege judicans: *non hominis ſed bovis eſſe vocem, ejus qui dixerat, non decere Principem tenere litteras.*

Quae

(e) In *Notis* pag. 251. promiſeram, me heic breviter delineaturum *Vitam* Friderici V. At cum typographus penuria laboret temporis, iter enim ad Miſſam Lipſienſem jam jam ingreditur, promiſſis ſtare haud poſſum, idque igitur Deo volente alias fiet. Cumque quaedam de Carolo Ludovico, qui patri ſucceſſit ac 1617. natus, mortuus 1680. et de Carolo, *Ludovici* filio, nato 1651. mortuo 1685., quique ſub Philothei nomine conſcripſit *Symbola Chriſtiana*, quae Lugd. Batav. 1698. cum fig. in 12. prodiere, et qui hic ultimus e Proteſtantibus fuit Palatinus Elector, tecum communicabo.

Qualia praeſtitiſſet hicce Princeps juvenis, ſi ipſi diutius a Summo rerum Arbitro vivere indultum fuiſſet, vel haec, quae edimus, te edocere poſſunt; quorum rationem ipſe in Dedicatione expoſuit.

At Deo aliter placuit. Ingenti enim omnium cum dolore in flore juventutis hicce egregius *Princeps* aquis ſuffocatus periit; xv. annos et vii. dies natus.

Caſum hunc infelicem ac triſtiſſimum verbis Sethi Calvisii, vel potius illius *Continuatoris*, (f) tradam. *Anno* 1629. *ſeptimo Januarii ſub denſiſſima inſtar nubis nebula, veſpertino crepuſculo inter quartam et quintam horam, Fridericus Henricus Friderici Palatini F. cum parente ad lautam iſtam praedam, a Petro Peterſen Heyn Hiſpanis ereptam, contemplandum Harlemo iturus, in trajectu flu-*

(f) In Oper. Chronologic. pag. 1293. col. 3. Edit. tertiae Francof. 1629. in 4. Doctiſ. Sethus Calvisius obiit *Lipſiae* 1615. Unde ſequitur, ſequentia, quae illo continentur Opere, ab aliis profecta.

fluminis Tyae, prope Amſtelodamum, navi, qua vehebatur, per impetuoſam et inopinam alterius navigii plenis velis occurrentis illiſionem, rupta, triſti fato miſere aquis hauſtus, et ſuffocatus eſt; Patre miraculoſe Numinis benignitate ex eodem diſcrimine erepto, ac ſervato.

Illo naufragio praeter alios perierunt cum ipſo Principe tres (g) praecipue dignitatis

** Vi-

(g) Vid. Jo. Sictoris Rokyczani, Bohemi, *Carmina Lugubria*, quibus hunc maximae ſpei Principem proſequutus eſt. Totum hunc infelicem caſum nobiliſſ. Dorville in Epiſtola expoſuit Henr. Altingio, quam e MSS. ut et Henr. Altingii Epiſtolam, qua regem conſolatus eſt, addere conſtitueram, niſi ſaepius memorata cauſa rationes meas turbaſſet. Hinc eſt, quod et *Catalogum Scriptorum de Rebus Palatinis* omittere cogor. Sane ſi Cl. Henr. Altingius ſatis otii habuiſſet, luculentam nobis totius *Palatinatus* dediſſet *Deſcriptionem*, prout ex ejus ſchedulis MSS. ſed quae mera rudimenta, et nudam tantum exhibent delineationem, vidi. Oſtendunt tamen, illum in votis habuiſſe tale opus perficere, ad quod varia collegerat ſubſidia Vir, ſi quis, ad hoc negotium aptiſſimus.

Viri, Cubicularii et Pocillatores Regii, Simılus de Hodiegowa, Illuſtris Familiae Baro Bohemus, variarum linguarum periſſimus, Georgius Wilhelmus Berbistorfius, Equeſtris Ordinis alter Bohemus, et tertius Dn. Willerno, Nobilis Gallus.

Cum ergo hujus Principis *authographum* ad me liberali donatione Nobiliſſimi Domini R. D. MEPSCHE (ut alibi uberius dixi) perveniſſet, premere nolui. Verum ſtatim illud edere, nomenque tam heroicae mentis Principis aeternitati conſecrare decrevi.

Notas huic Operi adjeci *nonnullas*, quae inter deſcribendum (nam Principem manum ſordidis tradere typothetis religio erat), et dum prelum curreret, natae ſunt. Sin majus otium occupationes variae conceſſiſſent, majori forſan ακριβεια elaboraſſem ac ulterius deduxiſſem. Interim eas, qualeſcunque ſint, boni conſulas, rogo.

Adjeci tandem G. Sohnii *Orationem Hiſtoricam de Fundatione et Conſervatione laudatiſſimae Academiae Heidelbergen-*

genſis, quae prodiit *Hanoviae* 1607. in 4. Neque haec tibi diſplicere poterit, cum ea, quae alibi fruſtra quaeras, copioſe exhibeat.

Alia, quae jam, uti ſaepius, neque ſine taedio dixi, omittere cogor, deinceps propitio Numine tradam.

Caeterum, ut in memoriam egregium Cl. STEPHANI GAUSSENI dictum (h) revoces, peto. NAM, inquit, QUI NIHIL OMNINO DARE TENEBATUR, CUM ALIQUID DAT, EJUS LIBERALITAS LAUDANDA EST, NON TENUITAS ACCUSANDA. Vale

Amiciſſime Lector, et mihi, ſtudiiſque meis faveto.

Dabam ex Muſeo in pago *Nieuwkerk*, qui in ea ſitus eſt parte agri Groningani, quae vulgo dicitur *Het Weſter-Quartier*.

(h) Diſſertat. I. quae eſt *de Studii Theologici Ratione*. pag. 12.

Viri, Cubicularii et Pocillatores Regii, Similus de Hodiegowa, Illuſtris Familiae Baro Bohemus, variarum linguarum periti ſſimus, Georgius Wilhelmus Berbistorfius, Equeſtris Ordinis alter Bohemus, et tertius Dn. Willerno, Nobilis Gallus.

Cum ergo hujus Principis *authographum* ad me liberali donatione Nobiliſſimi Domini R. D. MEPSCHE (ut alibi uberius dixi) perveniſſet, premere nolui. Verum ſtatim illud edere, nomenque tam heroicae mentis Principis aeternitati conſecrare decrevi.

Notas huic Operi adjeci *nonnullas*, quae inter deſcribendum (nam Principem manum ſordidis tradere typothetis religio erat), et dum prelum curreret, natae ſunt. Sin majus otium occupationes variae conceſſiſſent, majori forſan ἀκρίβεια elaboraſſem ac ulterius deduxiſſem. Interim eas, qualeſcunque ſint, boni conſulas, rogo.

Adjeci tandem G. Sohnii *Orationem Hiſtoricam de Fundatione et Conſervatione laudatiſſimae Academiae Heidelbergen-*

gen.

genſis, quae prodiit *Hanoviae* 1607. in 4. Neque haec tibi diſplicere poterit, cum ea, quae alibi fruſtra quaeras, copioſe exhibeat.

Alia, quae jam, uti ſaepius, neque ſine taedio dixi, omittere cogor, deinceps propitio Numine tradam.

Caeterum, ut in memoriam egregium Cl. STEPHANI GAUSSENI dictum (h) revoces, peto. NAM, inquit, QUI NIHIL OMNINO DARE TENEBATUR, CUM ALIQUID DAT, EJUS LIBERALITAS LAUDANDA EST, NON TENUITAS ACCUSANDA. Vale

Amiciſſime Lector, et mihi, ſtudiiſque meis faveto.

Dabam ex Muſeo in pago *Nieuwkerk*, qui in ea ſitus eſt parte agri Groningani, quae vulgo dicitur *Het Weſter-Quartier*.

(h) Diſſertat. I. quae eſt *de Studii Theologici Ratione*. pag. 12.

CONSPECTUS GENERALIS

hujus LIBRI.

I.

LUSITANIAE *Deſcriptio*	*Pag.* 1
REGUM *Portugalliae* ORIGO	7
REX	
I. *Alfonſus*	10
II. *Sanctius*	13
III. *Alfonſus II.*	16
IV. *Sanctius II.*	18
V. *Alfonſus III.*	ibid.
VI. *Dionyſius*	21
VII. *Alfonſus IV.*	26
VIII. *Petrus*	28
IX. *Ferdinandus*	31
X. *Joannes*	33
XI. *Eduardus*	42
XII. *Alfonſus V.*	43
XIII. *Joannes II.*	44
XIV. *Emanuel*	50
XV. *Joannes III.*	66
XVI. *Sebaſtianus*	68
XVII. *Henricus*	ibid.
GUBERNATORES *et* DEFENSORES	69

XVIII. *An.*

VIII. *Antonius* 71
REGUM *Portugalliae* TITULUS 74
DOMINI *poſt Regem in Portugallia* 75
APPROBATIO OPERIS 78
PRIVILEGIUM *Galliae Regis* ibid.
Kurtze ANZEIG was Chafften Furſt Antonius in Portugal zu waſſer und landt den Koenig zu Caſtilien verfolge 83

I I.

EPHEMERIS *Expeditionis Norreyſii et Draki* 95

I I I.

PROSAPIA, NATALES, *et* SERIES, cum *brevi* PROSOPOGRAPHIA *ſereniſſimorum Principum* ELECTORUM PALATINORUM RHENI *ab* OTTHONE WITTELSBACH *ad* FRIDERICUM *V. Electorem Regem Bohemiae*
I. *Ottho a Wittelsbach.* 143
II. *Ludovicus* 147
III. *Ottho II.* 152
IV. *Ludovicus II.* 155
V. *Rudolphus I.* 159
VI. *Rudolphus II.* 161
VII. *Rupertus I.* ſive *Rufus* 163

VIII.	*Rupertus II.* ſive *Senior*	166
IX.	*Rupertus III. Rex Romanorum*	168
X.	*Ludovicus III. Barbatus*	172
XI.	*Ludovicus IV. Placidus*	180
XII.	*Fridericus I. Victorioſus*	183
XIII.	*Philippus Nobilis*	193
XIV.	*Ludovicus V. Pacificus*	198
XV.	*Fridericus II. Senex*	201
XVI.	*Ottho Henricus*	206
XVII.	*Fridericus III. Pius*	209
XVIII.	*Ludovicus VI.*	240
XIX.	*Fridericus IV.*	245

I V.

GEORGII SHONII ORATIO HISTORICA *de Fundatione et Conſervatione* ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS 253

DE

DE
PORTUGALLIAE
ORTU, REGNI INITIIS,
E T
DENIQUE DE REBUS A REGIBUS,
univerſoque Regno praeclare geſtis compendium; ex fidelibus ſpectatiſſimorum Hiſtoricorum monimentis excerptum

Per R. P. F. JOSEPH TEIXERA *Luſitanum, ordinis Praedicatorum, et ſacrae Theologiae profeſſorem, Regiſque Portugalliae concionatorem.*

D E D I C A T I O.

SERENISSIMO, AC INVICTISSIMO

ANTONIO PRIMO,

Portugalliae REGI,

Frater JOSEPH TEIXERA

Felicitatem.

QUANQUAM *non uſque adeo in erudito literarum pulvere verſatum me arbitrer, ut ex eo, tanquam ex ludis Olympicis palmam me reportare, et inde nomen meum cum omni poſteritatis memoria adaequare poſſe confidam; res tamen Luſitanas a vetuſtatis ſitu, hominumque oblivione ſemper pro mea virili parte vindicare adnixus ſum. Quem certe conatum, et multo etiam majorem a noſtratibus ille nobis ingenitus patriae charitatis affectus, ſuo jure repoſcit, ab iis potiſſimum, qui uberiori dicendi copia, et ſingulari quadam eruditione tantum ſupra caeteros caput efferunt (ut ait poeta),*

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Mihi vero, utcunque, quod mearum eſt partium, praeſtitiſſe videbor, Sereniſſime PRINCEPS, *ſi*

in

in anguſto iſto abaco fumoſas (ut loquitur Cicero) Portugalliae Regni, et Majorum tuorum imagines, primordia, ac ſtemmata denique oculis veluti in tabula ſpectanda exhibeam. Qua in re, ſi minus tuo, vel meo judicio, lectorumve ingenio ſatisfaciam, ſi quid ex incompoſito meo dicendi genere taedii contrahatur, illi ſaltem varia hic inſerta Virorum illuſtrium Portugalliae, *Caſtellae, Galliae, Angliae, aliarumque partium nomina, multiplici rerum varietate medebuntur. Tibi porro haec cordi futura cenſeo, vel eo nomine, quod non mediocri ſtudio, ex fideliſſimis Hiſtoricorum quorundam monimentis a nobis eruta in lucem prodeant. Non enim, credo, is es, qui exiguum hoc munuſculum Celſitudinis tuae modulo potius, quam donantis propenſione metiri velis. Cujus quidem propenſionis ſi rationem habere dignetur Majeſtas tua, facile intelliget, vix a quoquam majus aliud dari potuiſſe. Vale.*

A U-

AUTHORIS AD LECTOREM

ADMONITIO.

SI tibi quaedam, candide Lector, Portugallicae originis a primis infantiae ſuae incunabulis repetendae cupiditas inceſſit: hic tu minimo negotio omnia Portugallenſium initia, omneſque progreſſus uno veluti faſce conglobatos agnoſcere potes. Ac quidem primaevos illos Portugallenſes Gallis Celtis, ac Braccatis acceptos referri doceberis: Reges inſuper ipſi ſuae proſapiae radicem videbuntur aſſignare Henrico, Comiti de Limburg, fratri Theodorici, Ducis Lotharingiae, et Godofredi, Baronis Junivillae, qui primaria Baronatus Junivillici, Guiſiae, Vadamontanaeque familiae fundamenta jecerunt. In his etiam compendioli anguſtiis latiſſime ſerpere comperies, latiſſimeque diffundi per Hiſpaniam, Galliam, Angliam, Flandriam, Daniam, Italiam, Graeciam, per totam denique orbis univerſitatem, varios Regiae Portugallenſis Arboris ſurculos: ex quibus eos ducere queas fructus, ut poenitendos minime judices. In his vero concinnandis, et undique conquirendis, tametſi nulli labori pepercerim, mihi tamen ſatis ſuperque factum putabo, ſi hanc operam, induſtriamque meam aequi bonique digneris conſulere. Vale.

EPI-

EPIGRAMMA
JANI EDUARDI DE MONIM
AD VIRUM

ingenio ſingulari, religionis obſervantia, et omnibus virtutum dotibus conſpicuum

R. P. F. JOSEPH TEIXERA

Olyſipponenſem, ordinis Praedicatorum, et ſacrae Theologiae profeſſorem, Regiſque Portugalliae concionatorem.

GRatia vera quidem geminorum eſt mater amorum,
Vera Charis Chariti ſubſtat et alma comes.
Nulla Acherontaeis ſic gratia mergitur undis,
Foenora ſic cultus laeta rependit ager.
Lar patrius cum te fudiſſet ab ubere laeto,
Flagravit miro ſemper amore tui.
Pierias etenim te juſſit adire ſorores,
Unde tuae referunt laurea ſerta comae.
Nunc patrio ſuſcepta lari jam ſemina pendis,
Officium officio dulce rependis eo.
Tu patriae es proles, proles tua patria fertur,
Auſpiciis namque eſt illa renata tuis.
Nempe quid effulſit tua Portugallia Marte
Arteque, ſi Stygiis haec tegerentur aquis?
Nec Sophiae iſta ſacrae (cujus tu gloria) pugnant:
Sed Sophiam luſtrant haec monimenta ſacram.
Ergo tuos opera referens felice penates
Perge pater patriae laude nitere tuae.
Ante tua in piceos vertetur patria ſumos,
Quam tua ſub ſegni fama lateſcat humo.

BRE-

BREVIS

LUSITANIAE

DESCRIPTIO,

ET CUR

PORTUGALLIAE

NOMEN ILLI INDITUM SIT.

HISPANIA in tres provincias dividitur, Luſitaniam, Baeticam, et Tarraconenſem.

Luſitania his circumſcribitur finibus. A ſeptentrione Durio fluvio, jam inde ab ipſius oſtio, ad eum uſque pontem, qui Septimancis adjacet. Ab occidente ea Oceani Atlantici parte Anae, et Durii oſtia interfluit. A meridie Baeticae limite clauditur. Ab oriente demum Tarraconenſi provincia terminatur, linea ab Oretania veteri ad

ad eum pontem ducta, cui e regione Septimancae ſitae ſunt.

Regionis nomen ad Luſum, Hiſpaniae Regem, Liberi patris filium, et Lyſam, Liberi ſocium cum Luſo bacchantem refertur: unde et Luſitaniae, et Lyſitaniae nuncupatio indita dicitur.

Luſitania duobus celeberrimi nominis fluminibus Ana, et Durio clauſa: Tago etiam, auri fluxibus commendatiſſimo, interſecatur.

Anno 290. ante adventum Domini Gallos Celtas, et Braccatos in Hiſpaniam eſſe profectos, hiſtoriarum monimentis proditum eſt, a quibus primum Interamnis provincia occupata eſt, ubi conditis a ſe civitatibus, tum Portugalliae (quippe quae Gallis portus cujuſdam, et perfugii inſtar erat), tum Braccarae, ab ipſiſmet Gallis Braccatis, nomen impoſuere.

Interamnis provincia privatim Portugallicae civitatis nomen ſibi jure communiori vendicans, vere unica, et antiqua propriae Portugalliae appellatione audiit ab anno 290. ante adventum Domini, ad ejus nativitatis annum 1139. Tunc enim, et quidem die 25. Julii, ſancti Jacobi Apoſtoli feſto, Alfonſus Henricus, Portugalliae Dux, ab exercitu ſuo Rex Portugalliae ſalutatus, Luſitaniae vocem in Portugalliae appellationem, alioqui impropriam, commutavit.

Cum

Cum nec tota Portugallia Luſitaniae finibus circumſcripta ſit, nec totam Luſitaniam complectatur: in confeſſo tamen unicuique ſemper fuit, potiorem Luſitaniae partem Portugalliae Regis ditioni teneri.

Coſmographica ſectione Portugallia in quatuor provincias diſpeſcitur, Interamniam, Tranſmontanam (quae ambae in diviſione Hiſpaniarum, ex mente Strabonis ad provinciam Tarraconenſem pertinent), Ciſtaganam, et Tranſtaganam, quae fere totam Luſitaniam occupant. Portugallia vero in ditione ſua partem Baeticae provinciae habet.

Harum provinciarum amoenitas, ubertas, variaque rerum, quibus haec, aut illa ſcatet, tam ex Marinaei Siculi lectione, quam ex Damiani a Goes libello accurate huic rei dicato, cuivis legenti luceſcere poteſt: mihi tamen ex officio incumbit nonnulla hic etiam calamo exarare, quae nondum multorum cognitioni copiam ſui feciſſe videntur.

Portugalliae magna apud exteros commendatio conciliatur ex ingentibus fluviis, quorum principatum Tagus ille obtinet: cujus fama aurearum arenarum fluxui, non antiquorum modo fide, ſed et mea, et quotidiana omnium experientia adſcribere vere poteſt. Celebratur et Munda (vulgo *Mondego*) fluvius, Academiae Conimbricenſis vicinia nobilis, cujus et celebritas ramentis aureis conſpicua eſt.

Limia etiam ad ejus gloriam fluit: is eſt, quem ex Graecis poëtae Lethen, oblivionis undam nuncupant.

Portugallia excelſis montibus viſenda eſt. Eorum princeps ille eſt, qui a ſtella cognomen ſibi adoptavit, cujus cacumen in lacu quodam pleraque navium fragmenta ſpectantibus exhibens, ideo admirationem incutit, quod a mari viginti plus leucas abſit. Admiratio ex accolarum fide augetur, in monte eo intumeſcente mari exaeſtuare, eumque fragore concuti aſſerentium. Quod iis non eſt abſimile, quae de monte Aquis Flavis adhaerenti (vulgo *Chaves*), qui Portugalliae Tranſmontanae eſt, traduntur.

Non longe a civitate Conimbricenſi et rarum ſui ſpectaculum praebet fons ille ſtupendus, quem Plinius in Catanenſi (ſic enim Pliniana lectio concipienda eſt) Hiſpaniae agro conſtituit, qui quidlibet admotum ſorbet. Cujus fidem factum meis oculis periculum a dubio aſſerit. Memini enim coram me admotum ex pede jumentum, a fonte paulatim ita abſorptum, ut vix ulla renitentium hominum opera retrahi potuerit. Suae etiam affinxit hiſtoriae Plinius alium fontem juxta fluere, qui omnia reſpuat. Verum oblitera-ta hodie eſt illius fontis, tum memoria, tum notitia. Fonti illi Ferventiae nomen eſt: agro vero, quem alluit, Cadima, non procul a Tentugallenſi municipio.

In-

Interamnis provincia, cui primario jure proprium erat Portugallicae appellationis peculium, in longitudinem 18. leucis, in latitudinem 12. alibi 6. aut etiam 4. porrigitur. Verum ſi anguſtis finibus circumſepta ſit, latiſſime tamen rerum ſplendore, et raritate patet: quippe cui inſunt praeter Eccleſiam Braccarenſem Hiſpaniarum metropolitanam, et Portugallenſem cathedralem, aliaſque quinque collegiatas, plus quam centum triginta monaſteria cenſu ampliſſimo inſtructiſſima; circiter 1460. Eccleſiae parochiales, baptiſteriis etiam ſuis adauctae, quibus aliae multae annexae adhaerent. In ea quidem parte, quae Braccarenſem agnoſcit Eccleſiam, 800. recenſentur. Quae omnia in regionis antiquitatis, foecunditatis, religioniſque argumentum lippi, et tonſores aſſumere queant. Amoenitatem vero non obſcuro vocis teſtimonio arguunt illic fontium perennium 25000. decurſus, pontes quadrato lapide elegantiſſime conſtructi 200. portus marini 8.

6

Digitized by Google

ORIGO
REGUM
PORTUGALLIAE.

EUſtachius 18. Comes Bononiae, et hujus nominis 2. Euſtachii 1. filius, uxorem duxit Idam Godofredi 3. Gibberi Ducis Lotharingiae filiam, quae ipſius opera hos peperit filios.

Euſtachium 3. Bononiae Comitem 19. 1.
qui Eugeniam, Eduardi Angliae Regis filiam, in uxorem duxit: qua mortua Mariam, Malcolmi Scotiae Regis filiam, conjugem 2. habuit.

Godofredum, Comitem Bononiae, et 2.
ratione Idae matris Lotharingiae Ducem, qui poſtmodum Hieruſalem Rex primus conſecratus eſt anno 1099.

Balduinum, Ediſſanum Comitem, et 3.
Godofredi fratris in Ducatu, ac Regno Hieruſalem ſucceſſorem.

4. Guilhielmum, Baronem Junivillae, qui Guilhielmus vicario fratrum Godofredi et Balduini jure gubernaculo Lotharingiae praefuit, Ducatuſque, non autem Regni haereditatem adiit.

GUilhielmus uxorem duxit Getrudem, Arnulphi Comitis Lucenſis filiam: ex qua illi editi ſunt liberi.

1. Theodoricus ſucceſſor, qui duxit Hildegotam, filiam Comitis Flandriae, a quo caeteri Duces Lotharingiae deſcendunt.

2. Henricus, Comes de Limburg, a quo Portugalliae Reges genus et originem ducunt.

3. Godofredus, Baro Junivillae, cui caeteri Barones, Duces moderni Lotharingiae, Guiſiae, ac Vadamontani Comites originem ſuam debent.

4. Alter Godofredus.

5. Euſtachius.

6. Ida.

7. Beatrix.

Et

8. Getrudis.

Anno 1088. Henricus, Comes de Limburg, in Portugalliam appulit maxima equitum Gallorum caterva ſtipatus, in quibus prae caeteris eminebant Raymundus Burgundus, Guilhielmi Burgundiae Comitis filius, et Raymundus Comes Toloſae, et Sancti Egidii, qui ipſius Henrici Comitis de Limburg avunculus fuit. Hen-

Henricus, Comes de Limburg, propter res egregias ſumma cum vitae integritate domi, militiaeque geſtas, ab Alfonſo 6 Caſtellae Rege primus Portugalliae Comitatu inſignitus eſt, adjuncta ei Portugallia provincia, quam Comitatus nomine in Taraſiae filiae dotem ab ipſomet Alfonſo accepit. Quam provinciam pater ejus Ferdinandus, cognomento Magnus, cum titulo Regio filio ſuo Garſiae, ſimul cum Galliſia in vita dederat. Hunc autem Garſiam, Sanctius frater diviſionem iniquo animo ferens, bello captum ad vincula conjecit, ipſiuſque dominium occupavit. At interfecto demum Sanctio Alfonſus, hujus nominis 6. (is vero fuit, qui Toleti foro, et dominatui ſaeviſſimos Sarracenos cedere coëgit) fraternis Regnis ex aſſe potitus eſt. Apud hunc Henricus gratia, et authoritate plurimum valuit.

Ex uxore Taraſia hos filios ſuſcepit.

Alfonſum Henricum ſucceſſorem, qui 1.
poſtmodum ab exercitu ſuo Rex Portugalliae ſalutatus eſt.

Duas itidem filias, quarum prior Ber- 2.
mundo Paes, Comiti de Traſtamara;
altera vero Ferdinando Mendes nupſit. 3.

Extremum vitae diem clauſit Henricus in civitate Aſtorga anno 1112. Cujus corpus in ſacello ſanctae Mariae, in Eccleſia metropolitana Hiſpaniarum Braccarenſi ſepultum eſt, cum in Portugallia annos 23. rerum potitus eſſet.

Pri-

✠ PRIMUS REX.

1112. ALfonſus I. Henrici filius Comitatu Portugalliae ſucceſſionis jure gaviſus eſt, Duciſque appellationem per 27. annos obtinuit, ad inſignem uſque illam in agro Orichienſi pugnam, in qua manum adverſus Iſmarium, et quatuor Sarracenorum Reges conſerturus, ab exercitu ſuo ultro citroque Regium nomen ſibi adoptavit, cum omnes eo die diviniſſimum ſacramentum ſuſcepiſſent. Indecorum quippe videbatur, quenquam in quinque hoſtes Reges concurrere, qui et ipſe ſaltem Rex non eſſet. Hac die Chriſtus crucifixus in aëre pendulus, ipſiuſque oculis obverſatus in hanc vocem erupit: IN HOC SIGNO VINCES. Quo nomine hujuſmodi inſignia Portugalliae Regibus adſcita ſunt, eademque die quinque illi Sarracenorum Reges proſtrati, atque e medio ſublati ſunt. In inſignibus itaque haec habentur. Scutula quinque armigerum decuſſata, cruciſque formam exhibentia majori ſcuto concluſa in campo argenteo: ſcutulo vero unoquoque quinque denarii circumſepti tenentur decuſſatim conſtituti. Haec autem non modo quinque vulnerum Chriſti hieroglyphica ſunt: ſed et triginta denariorum, quibus ipſe venditus fuit, ſymbo-

Garibay p. 4. lib. 34. cap. 10.

Oſorius lib. 8. fol. 241.

Joannes Vaſaeus parte 1. *cap.* 19.

bolum exhibent. Adde et denarios quinque ſcutulo circumſcriptos, ejus eſſe victoriae ſpecimen, quam Rex unus a Regibus quinque, divinis auſpiciis reportavit. Septem vero Caſtellorum auctionem Portugallenſia inſignia Alfonſi 3. temporibus accepta referunt.

Rex Emanuel in ſtemma ſuum ſphaeram aſſumpſit, quod ad poſteriorum etiam Regum inſignia percrebuit, latiſſimi videlicet imperii ſymbola, quod in omnes orbis partes Rex Portugalliae ſortitus eſt.

Alfonſo nupſit Mafalda Manrique de Lara, filia Henrici Comitis de Lara, et Principis de Molina, magnae apud Caſtellanos notae: ex cujus matrimonio ſuſcepti illi ſunt liberi. Sanctius ſucceſſor. 1.

Uraca, Ferdinandi 2. Legionis, et Galliſiae Regis conjunx. 2.

Taraſia, uxor Philippi 1. 17. Comitis Flandriae, filii Theodorici Comitis Flandriae, et Sibyllae uxoris: quos avos habuerunt Balduinus et Henricus, Conſtantinopolitani Imperatores. Et 3.

Mafalda, Raymundi Berengarii, Barchinoniae Comitis conjunx. 4.

Ejus praeterea naturali ſanguine cretus eſt Petrus Alfonſus de Portugal. 5.

Anno 1147. luculentiſſimam civitatem Olyſipponenſem auxiliaribus Gallorum, Anglorum, Flandrorumque copiis fretus a Maurorum tyrannide aſſeruit, atque re-

recepit In eadem civitate, ubi caſtrametatus fuerat, monaſterium eximium affabre factum, canonicis ſancti Auguſtini, in Divi Vincentii martyris, cujus tutelari praeſidio civitatem ipſam vovit, conſecravit. Alterum etiam ſimile coenobium in civitate Conimbricenſi, voto ſanctae crucis honore perſoluto, exſtruxit. Celeberrimum etiam, maximumque conventum (qui vulgo *de Alcobaça* dicitur) in divi Bernardi Abbatis, cujus fama, et miraculorum gloria omnes fere totius orbis aures pervaſerat, honorem exaedificavit.

Hic totam fere Portugalliam, quam late hodie patet, ſartam tectam ex Sarraceniae tyrannidis jugo exemit.

Garibay p. 9. lib. 34. cap. 16. Anno 1169. 23. die Maji Alexander 4. ſummus Pontifex, in Eccleſia Lateranenſi, ei, ſucceſſoribuſque ſuis Portugalliae coronam, ratam, firmatamque indixit. Cujus confirmationis lectione, et publicatione perfunctus eſt ibidem Albertus, Cardinalis ſanctae Eccleſiae Romanae, ſummique Pontificis Camarlengus, ea tamen lege, ut quotannis a Portugalliae Regibus duae auri librae Eccleſiae Romanae in tributum perſolverentur. Quarum tamen exactio nulla aut hominum, aut tabularum obſignatarum memoria adhuc conſtitit.

E vita exceſſit Alfonſus in Conimbricenſi civitate die 6. Decembris anno 1185. Cujus corpus in ſanctae Crucis ipſius civi-

vitatis monaſterio reconditum eſt, cum regnaſſet annos 46.

SECUNDUS REX.

SAnctius 1. cognomento Habitator, 1185.
Alfonſi 1. filius, regnavit annos 26. Hic ob multa egregia adverſus Mauros facinora nomen ſuum ad poſterorum memoriam tranſtulit. Totam Andaluſiam etiam Maurorum ditioni ſubmiſſam, tanta animi praeſentia perluſtravit, ut etiam civitatem Hiſpalenſem contigerit. Quo loco praeclaram victoriae palmam a Mauris adeptus eſt, Baetimque fluvium eorum ſanguine tinxit

In matrimonium duxit Aldonçam, vel ut alii prodidere Dultiám, Alfonſi 3.
Aragoniae Regis ſororem: quae illi Alphonſum ſucceſſorem peperit. 1.

2. Ferdinandum, qui ratione uxoris Joannae, filiae Balduini 9. Comitis Flandriae, poſteaque Imperatoris Conſtantinopolitani, Flandriae Comitatum accepit. Hic bellum adverſus Philippum 2. Galliae Regem, cognomento Auguſtum gerens, bello captus, Pariſiis in arce Lupara vitam cum morte commutavit. Cujus corpus in monaſterio de *Marquet* juxta ſanctum Dionyſium funere donatum eſt.

3. Petrum, cujus ditioni filiae Armengol ratio Comitatum de Urgel adjecit: poſtmo-

modum a Joanne 1. Aragoniae Rege inſularum Majorcae et Minorcae Regnum illi delatum eſt: hinc demum dominio Segorbae civitatis, et de Villa Morella auctus fuit.

4. Henricum, qui primo extremum vitae diem clauſit.

5. Taraſiam, Alfonſi 9. Legionis, et Galliſiae Regis uxorem.

6. Mafaldam, Henrici 1. Caſtellae, et Tolleti Regis conjugem.

7. Sanctiam, quae monalium albo adſcripta fuit.

8. Blancam, Dominam de Guadalajara

Et

9. Beringellam, quae innupta vitam finivit.

10. Nati etiam ſunt illi filii illegitimi, Urraca ſcilicet, cui et infanti vitae uſum mors ademit.

11. Martinus Sanches de Portugal, cui ducta in uxorem eſt Eulalia Peres, Comitis Petri Ferdinandi de Lancaſtro filia. Hic Regno Legionis, et Galliſiae praefectus fuit, Alfonſique 9. in amore, et gratia, vel cognomenti ſui merito maximum locum obtinuit.

12. Taraſia Sanches de Portugal, Alfonſi Telles uxor, qui primus Habitator fuit, dominiumque oppidi de *Albuquerque* ſuo addidit.

13. Egidius Sanches de Portugal, qui infans obiit.

Ro-

Rodericus Sanches de Portugal, qui in infantia vitam finivit. 14

Et

Conſtantia Sanches, in monialium ordinem tranſcripta. 15

Hic ab Alfonſo 9. genere ſuo Legionis, et Galliſiae civitatem Tudenſem, Pontem Vedram, ac alias civitates, et oppida in Regno Galliſiae armata manu cepit. Quorum fruitione multorum annorum decurſu laetatus eſt.

Hujus aetate ordo ſancti Jacobi, et Ciſtercienſis de *Avys* exordium coepit.

Ditiſſimus fuit auri, et argenti. Ampliſſima Monaſteria, et Eccleſias a ſe poſitas, non exiguo auri, argentique pondere locupletavit. Innocentio 3. ſummo Pontifici centum auri libras muneri miſit.

Anno 1199. multa ſigna, et prodigia apparuere, civitatum, ac oppidorum multorum caſus praevia: lunae eclipſis diem totum unum hominum oculis caliginem, tenebraſque offudit.

Obiit Sanctius in civitate Conimbricenſi anno 1212. Cujus corpus in coenobio ſanctae Crucis, ipſius civitatis ſepulchro mandatum eſt.

Ter-

Tertius Rex.

Alfonſus 2. cognomento Pinguis, Sanctii 1. filius, regnavit annos 12. Hujus multa extant adverſus Maurorum ſaevitiem praeclarae fortitudinis monimenta. Uxorem habuit Urracam, Alfonſi 9. Regis Caſtellae filiam, et Leonorae, filiae Henrici Angliae Regis. Sorores tres Reginae Urracae fuere. Prima ſcilicet Blanca, Ludovici 7. Galliae Regis conjunx, quae S. Ludovici mater fuit. Secunda Berengaria, Alfonſi, Legionis Regis uxor. Tertia Leonora, quae Jacobo Aragoniae Regi nupſit. Qui Jacobus Murciae, et Valentiae Regna a Mauris ſibi vindicavit.

1. Alfonſo ex uxore Urraca nati ſunt Sanctius, qui paterni Regni haereditatem adiit.

2. Alfonſus, Comes Bononiae ratione Matildis uxoris.

3. Ferdinandus, cui Infantis *deçerpa* cognomen eſt impoſitum: qui uxorem duxit Sanctiam Fernandes, Comitis Ferdinandi de Lara filiam, cujus partu filiam ſuſcepit, cui ab amitae obitu Daniae Regnum ceſſit.

Et

4. Leonora, quae Daniae Regina fuit.

5. Natus etiam eſt illi filius illegitimus, Al-

Alfonſus Martins Chichorro.

Cum Alfonſus 9. Caſtellae Rex, ipſiuſque ſocer, arma in Guyanam, Gallicam provinciam, moturus eſſet, ab eo manum auxiliarem efflagitavit: quam non modo non porrexit; ſed, ut ab inceptis, mutato calculo, deſiſteret, admonuit. Id reſponſi aegerrime ferens Alfonſus, in eas moeroris anguſtias pertractus eſt, quae mortis anſam praebuere.

Amicitia et fides Regum Portugalliae erga Reges Galliae.

Anno 1214. Gallis, Anglis, et Flandris ſuppetias ferentibus, Salatiam (vulgo *Alcare do Sal*), oppidum natura, manuque hominum munitiſſimum, a Mauris extorſit.

Hoc tempore divina beati Dominici patris noſtri, et Seraphici Franciſci virtus emicuit, atque effloruit.

Ad Portugalliam pater noſter Dominicus ſocium Petrum a Cuba direxit, atque dimiſit. Qui conventum Santaranenſem, antiquitate ſecundum in toto ordine, et in Hiſpania primum, exaedificavit. In eodem vero conventu capitium patris noſtri, ſimul cum capillo hodie exſtat.

Vita ceſſit Alfonſus in civitate Conimbricenſi anno 1223. Ejus corpus coenobio ſancti Bernardi de *Alcobaça* ſepulchro conditum eſt.

QUARTUS REX.

1223. SAnctius 2. Alfonſi 2. filius, qui ab indumentorum longiuſculorum, et ad eccleſiaſticam propius quam Regalem habitus rationem accedentium, uſu cognomine Capello audiit, regnavit annos 26. Sed duobus poſtremis rexit pro illo Portugalliam Alfonſus, Comes Bononienſis frater ipſius, juſſu Innocentii 4. ſummi Pontificis, apud quem Sanctius delatus fuit, quod animo eſſet nimis demiſſo in adminiſtratione Regni.

Joannes Vaſaeus parte 1. *cap.* 19.

Nupſit ei Mitia, filia Lupidias de Haro, Domini Cantabriae.

Animam efflavit Sanctius nullis ſuperſtitibus liberis, Regnoque abdicatus, in Tolletana civitate anno 1247. Cujus corpus in aede ſacra, ubi et tegebantur oſſa Alfonſi, Caſtellae Regis, et Sanctii, ejus filii, cognomento *Deſejado*, tumulo mandatum eſt.

✠ QUINTUS REX.

1247. ALfonſus 3. Alfonſi 2. filius, et Sanctii 2. frater, Bononiae Comes ex conjugali ratione Matildis, ex qua ſuſcepti illi ſunt filii, Ferdinandus, et
2. ſecundum alios Petrus, qui quidem in pue-

pueritia in Olyſipponenſi civitate obiit, atque in conventu ſancti Dominici, ordinis Praedicatorum, ſepultus eſt.

Rubertus, qui cum Matilde matre apud Gallos manſit, et in Comitatu ſucceſſit, a quo ſereniſſima, ac Chriſtianiſſima Regina Catharina de Medicis Henrici 2. Francorum Regis uxor, et Henrici 3. Francorum, et Poloniae Regis mater, qui hodie feliciter regnant, eoſque, quam diutiſſime Dominus Deus ſervare dignetur incolumes, genus, et originem duxit. 2.

Et

Conſtantia, quae in cunabulis obiit. 3.

Hic Alfonſus vivente Sanctio fratre, Portugalliae Rege, ab Innocentio 4 ſummo Pontifice, in concilio Lugdunenſi anno 1244. die 6. Septembris Gubernatoris Portugalliae nominatione inſignitus eſt, et poſtmodum a populo Olyſipponenſi in Regem creatus. *Garibay p. 4. lib. 34. cap. 16.*

Beatricem, Alfonſi 10. Regis Caſtellae filiam, matrimonio ſibi vinxit, vivente etiam Matilde uxore prima, ideoque toto duodecim annorum curriculo a ſummis Pontificibus excommunicationis nexu coërcitus eſt; quouſque exſtincta Matilde a Clemente 4. ſummo Pontifice illo vinculo excommunicationis ſolutus, in Regno ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus ex Beatrice confirmatus eſt. *Garibay p. 4. lib. 34. cap. 20.*

Ex ſecunda uxore Beatrice nati ſunt illi Dionyſius ſucceſſor, qui viva adhuc 4.

patris uxore prima Matilde procreatus eſt.

5. Alfonſus, Dominus de *Portalegre*, qui duxit Violantam, Emanuelis filii Ferdinandi 3. Regis Caſtellae filiam. Cui Ferdinando divis annumerato, atque adſcripto ſacra fiunt.

6. Blanca monialis, Domina conventus de *Lorvam*, a quo tranſlata eſt ad conventum ſanctae Mariae Regalis de *Huelgas*, in civitate Borgiorum, in quo obiit, et ſepulta eſt. ET

7. Conſtantia, quae innupta in civitate Hiſpalenſi vitae vale dixit, et inde in coenobium de *Alcobaça*, ordinis ſancti Bernardi funere delata eſt.

8. Nati ſunt illi filii illegitimi, Ferdinandus Alfonſus de Portugal, eques Templarius eximiae ſtrenuitatis vir, qui jacet in conventu ſancti Dominici Santaranenſis, ordinis Praedicatorum, in ſanctorum Coſmae et Damiani ſacello. ET

Leonora, Comitis Gundiſſalvi conjunx.

9. Hic in Regno Algarbiorum, illi in dotem aſſignato, a civitatibus de *Loule*, et *Faro*, aliiſque permultis oppidis Mauros exegit.

Hujus aetate Caſtellorum ſeptem adjectione, in campo rubeo circa peripheriam areae cumulatiora facta ſunt Portugalliae inſignia.

In

In civitate Olyſipponenſi eximium monaſterium ſancti Dominici, ordinis Praedicatorum nomine ſacratum, a ſe olim primis fultum fundamentis, ad calcem tandem perductum amplo cenſu ditavit. Ibidem anno 1279. et vita functus, et ſuo coenobio ſepultus eſt: poſt aliquot tamen annorum curriculum corpus ipſius in coenobium de *Alcobaça*, ordinis ſancti Bernardi tranſlatum eſt, cum regnaſſet annos 23.

Sextus Rex.

Dionyſius 1. Alfonſi 3. filius ex Beatrice, cognomento Fabricator, regnavit annos 46. Uxorem aſſumpſit Iſabellam, filiam Petri 2. Aragoniae Regis, et Conſtantiae, Manfredi, Siciliae, et Neapolis Regis filiae, qui Manfredus patre natus eſt Frederico Imperatore. Hoc in matrimonio ſtudioſiſſime intercesſoris partes obiit Philippus 3. Galliae Rex, cujus ex partu Dionyſio exorti ſunt Alfonſus ſucceſſor. 1279. 1.

Conſtantia, Ferdinandi 4. Caſtellae Regis uxor. Et 2.

Sibylla, Henrici Ducis de Lancaſtro conjunx. Suo et ſemine cretos hos ſuſcepit illegitimos. 3.

Alfonſum Sanches, Dominum de *Albuquerque*. 4.

 Pe-

5. Petrum, cui nupſit Blanca Petrianes, Domini de *Portalegre* filia.
6. Joannem Alfonſum de Portugal.
7. Ferdinandum Sanches de Portugal.
8. Mariam, uxorem Joannis de Laçerda. Et
9. Mariam, monialem in conventu ſancti Dionyſii, ordinis ſancti Bernardi (vulgo de *Odivellas*), quem Dionyſius in laudem tanti Sancti a fundamentis erexit, eumque ſummis reditibus amplificavit.

In ore illi apophthegma fuit: *In agricolis Reipublicae nervos ſitos eſſe.* Hic denique immenſae nobilitatis, veritatis, et juſtitiae trophaea immortalitati conſecravit.

Ordinum ſacrorum militum per Hiſpaniam, et Luſitaniam occaſio et ſucceſſus.

Eo tempore, quo Hiſpania maxima ex parte erat ſub Arabum poteſtate, et imperio conſtituta, cum eſſet perpetuum inter illos et Chriſtianos bellum ſine ullo firmo, et ſtabili induciarum foedere concitatum, fuere quidam viri nobiles, non magis virtute, quam religione praecellentes, qui vovebant ſe pro Chriſti gloria, quamdiu vires ſuppeterent, ſumma contentione pugnaturos. Quod ut multo alacrius facerent, et ut commodius ad coelum viam munirent, a nuptiis abſtinebant. Horum vita partim in religionis ſtudio, partim in armorum exercitatione conſumebatur. Tantuſque erat in illis ardor animorum, ut eos beatiſſimos judicarent, qui in bellis pro defenſione Reip. et Chriſti ſanctiſſima religione ſuſceptis

oc-

occumberent. Horum exemplum cum multi ſequerentur, fuerunt varii militum religioſorum ordines inſtituti, a Regibus multis beneficiis ornati; et a Pontificibus maximis approbati: ex quibus multi viri prodiere, quorum virtute Mauri ſaepiſſime cum magna Chriſti nominis gloria fuſi, fugatique ſunt. Erant autem omnes imagine crucis ex panno partim rubro, partim viridi facta, et veſtibus aſſuta, ſecundum pectus inſigniti. Florebat etiam in Hiſpania ordo Templariorum, et Hoſpitalenſium, qui Hieroſolymis eadem fundamenta, poſt captam a Chriſtianis civitatem illam habuerant. Quamvis autem varia eſſent horum ordinum inſtituta, et inſignia, quibus diſtingui alii ab aliis poſſent: in hoc tamen conveniebant, quod omnes, votis ſolemni ritu emiſſis, fidem Chriſto publice dabant, fore, ut nulla unquam libidine ſe commacularent, nec magiſtris militiae imperium detrectarent, nec ſe ullis avaritiae ſordibus illini paterentur. In Portugallia vero praeter reliquos militum religioſorum ordines alius a Dionyſio conſtitutus eſt, poſtquam opera Philippi Francorum Regis, qui Pulcher appellatus eſt, Templariorum ordo everſus fuit. Inivit enim Dionyſius rationem, quemadmodum Templarii Luſitani (ex omnibus enim Chriſtianae Reip. partibus aditus fortibus, et ſpectatis hominibus ad illum

Sacrorum militum inſtituta.

Ordinis Chriſti militum

origo et institu-ta.

ordinem patebat) neque bona, neque dignitatem amitterent. Itaque ſtatuit, ut vectigalia, quae erant in Portugallia Templariorum ordini dicata, iidem ipſi Templarii, qui ea poſſederant, novae cujuſdam militiae nomine retinerent. Hanc autem Chriſti militiam appellavit, et hujus religionis milites ſtatuit, ut imaginem crucis colore candido incluſam, in aliam crucis imaginem, colore rubram, geſtarent, ut a reliquis religioſis militibus internoſci poſſent. Poſtulavit deinde a Pontifice maximo, ut eam authoritate ſua confirmaret.

Inſtituit etiam ſuo tempore Dionyſius religiones militum ſancti Jacobi, et militum Ciſtercienſis de *Avis*, quarum milites imagine crucis ſecundum pectus inſigniti ſunt, et ſub regula ſancti patris Benedicti vitam degunt.

Quadraginta quatuor oppida partim inſtauravit, partim eorum primordia extulit.

Ita omnium auribus, atque animis inſederat ſingularis prudentiae ipſius celebritas, ut eum una voce, unaque mente Caſtellae, et Aragoniae Reges ſibi tanquam arbitrum honorarium delegerint, eumque (adhuc adoleſcentem) e Portugallia ad ſe honorifica propenſione acciverint. Inter quos ita litem compoſuit, ut ne levicula quidem poſtea jurgiorum aura commoti ſint.

Hoc

Hoc rerum potiente erupit Othomanus ille, a quo Othomanica Turcicorum Regum impia proſapia prodiit.

Dionyſius in civitate Santaranenſi ad ſuperos evolavit 7. die Januarii anno 1325. Cujus funus et ſepulchrum in conventu ſuo ſancti Dionyſii, monialium ſancti Bernardi de *Odivellas*, procuratum eſt.

Eliſabeth Dionyſii conjunx, vita functo marito, coenobium monialium ſancti Bernardi (vulgo de *Almoſter*) circa civitatem Santaranenſem, cui Domina Beringella Aires primam manum admoverat, ſuis partibus abſolvit. Itemque conventum monialium ſanctae Clarae in civitate Conimbricenſi exſtruxit: cujus etiam aditum, atque ingreſſum ſibi cum Domina Iſabella de Corduba, ejus conſanguinea, imponere gravata non eſt. Ac tunc quidem ad nonagenarium uſque numerum moniales perductae ſunt, in quibus etiam ſeptuaginta duas regia progenie numerare potuit. Ad hoſpitale commendatione ſanctae Eliſabeth, Regis Ungariae filiae, conſanguineae ſuae, dicandum animi contentionem appulit. Alterum etiam in civitate Leïrea nobilibus pauperibus ſtatuendum, ac conſecrandum curavit.

Quum tandem febris acrimonia urgeretur, in oppido de *Eſtremos*, cum illic hymnus hic accineretur: *Maria mater gratiae, mater miſericordiae, tu nos ab hoſte protege, et hora mortis ſuſcipe*, filio Rege Alfonſo 4.

et Regina uxore ſpectantibus ſpiritum efflavit anno 1336. die 4. Julii. Ejus corpus in Eccleſia, cui nunc de Spiritu Sancto nomen eſt, humo fuit traditum. Verum non ita multo poſt ab Alfonſo filio ad monaſterium ſuum, monialium ſanctae Clarae Conimbricenſis, magna hominum frequentia, et pompae celebritate tranſlatum eſt. Ubi et integritatis ſuae praeclarum ſpecimen miraculorum luce exhibet. Cujus rei veriſſimus teſtis ego ſum, qui divinam miraculi vim in me ipſo, multis ſpectantibus, percepi feſto Regum, anno 1560.

Anno 1516. regnante in Portugallia Emanuele primo, Leo decimus, ſummus Pontifex, conceſſit, ut ipſi Iſabellae, cujus divina virtus fuerat admirandis ſignis a Chriſti numine comprobata, honores in Luſitania publice, ut reliquis divis haberentur 4. die Julii.

Septimus Rex.

1325. Alfonſus 4. cognomento Bravo, Dionyſii 1. filius, regnavit annos 31. Matrimonii vinculo Conſtantiae, Ferdinandi 4. Caſtellae Regis, et Conſtantiae, Dionyſii patris ſororis filiae copulatus eſt. Ex ea orti ſunt

1, 2. Alfonſus, et Joannes, quos in ipſo vitae lumine cunis mors abripuit.

Pe-

Petrus ſucceſſor. 3.

Maria, Alfonſi 11. Regis Caſtellae conjunx. 4.

Et

Leonora, Petri 2. Aragoniae Regis uxor. 5.

Anno 1340. Rex Benamerim, Rex Granatae, et Rex Marrochiorum cum duobus aliis Regibus civitatem Tarifam, in Regno Caſtellae, obſidione cinxerunt: cujus ſolvendae gratia Alfonſus 11. tunc temporis in Eborenſem civitatem ad auxiliarem Alfonſi ſoceri ſui ſinum confugit. Qui primo quidem nullum implorationi locum reliquit: poſtmodum vero Mariae filiae, et Caſtellae Regis uxoris precibus cedere compulſus, in oppido Geromenae ſuppetiales copias praeſtitit. Conſcripto itaque in Portugallia numeroſo exercitu, vexillo ſanctae crucis, quod in verae crucis templo, juxta oppidum de *Portel*, aſſervabatur, delato, ad Tarifam ſe contulit, et quinque Sarracenorum Reges praelio laceſſit, eoſque Stygias detruſit ad undas. Tanta hic hoſtium ſtrages eſt edita, ut, quadringentis quinquaginta Sarracenorum millibus gladio transfixis, vix tantae cladis nuntius ſuperfuerit. Cum tamen ex Chriſtiana acie tantum viginti milites deſiderati ſint. Caeterum victoriae inſolenti tanti animi moderatione fraenum impoſuit: ut ex tam opima praeda nihil ad ſe, praeter enſes aliquot, infantemque unum Sarracenum,

Joannes Vaſaeus parte 1. cap. 19. Garibay p. 4. lib. 43. cap. 34.

Regis Sejumenſae filium, redire voluerit. Vulgari nomine *do Salado* concertatio haec inſignita eſt.

Anno 1344. terrae concuſſio aedificiis multis ruinam intulit, in his ſacello maximo primariae civitatis Olyſipponenſis Eccleſiae, in quo reſarciendo nullis aut laboribus, aut ſumptibus Rex illico parcendum putavit. Cumque menſe Maji anno 1357. in eadem civitate e vita migraſſet, ipſius corpus tumulum in eo ſacello ſortitum eſt.

Octavus Rex.

1357. Petrus 1. cognomento Juſtitiarius, Alfonſi 4. filius, regnavit annos 10. menſes 7. dies 18. Primo conjugii thalamo ſibi junxit Conſtantiam Emanuel, Alfonſi 11. Regis Caſtellae, ex filio Petro neptem, ex qua illi liberi in lucem editi ſunt.

1. Ludovicus, qui pueritiam attingere morte vetitus eſt.

2. Ferdinandus ſucceſſor.

3. Maria, uxor Infantis Ferdinandi, Aragoniae Principis, Marchionis Tortoſae, et Domini de *Alvarizim*; qui Ferdinandus, Alfonſi Aragoniae Regis, cognomento Piiſſimi, et Leonorae filius erat.

4. Leonora, Petri crudelis, Aragoniae Regis uxor ſecunda.

Ex 2. uxore Agnete a Caſtro habuit
Alfonſum, cujus infantia prima ultima vitae meta fuit 5.
Ioannem, Et 6.
Dionyſium, qui in Caſtellae Regno a Joanne 1. detenti, fatis conceſſere. Et 7.
Beatricem, conjugem Sanctii, Comitis de *Albuquerque*, Alfonſi 12. Caſtellae, et Legionis Regis filii. 8. Habuit praeterea filium illegitimum nominé Joannem. 9.

Conſtantia Emanuel, uxor prima e vivis ſublata eſt anno 1345. Cujus corpori conventus S. Franciſci Santaranenſis, ordinis Minorum, tumuli juſta exſolvit.

Anno 1361. coram Domino Joanne Tello, primo Comite de *Barcellos*, et in aliorum multorum procerum concurſu, Agnetem a Caſtro, quam pater ejus Alfonſus pravorum hominum inſtigatione interimi juſſerat, in uxorem duxiſſe ſe jam ante ſeptem annos objuravit, et hoc teſtimonio Domini Egidii, Epiſcopi Guarduenſis, et Stephani Lobato, quibus *Gari-* praeſentibus, et aliis permultis contra- *bay p.* ctum fuerat matrimónium, confirmavit. 4. *lib.* Et propter impedimenta matrimonii (erat 34. *cap.* enim non ſolum conſanguinea, ſed ma- 33. ter ſpiritualis, filii primogeniti Ludovici) habuerat diſpenſationem ſummi Pontificis, quam omnibus adſtantibus oſtendit, et Agnetis filios Infantes, eamque Reginam Portugalliae appellari fecit, ejuſque

cor-

corpus, cui ſepulchrum in conventu ſanctae Clarae, civitatis Conimbricenſis, propoſitum erat, ad conventum ſancti Bernardi de *Alcobaça* traducendum curavit, qua parte ſibi, illique mauſoleum regale praeparaverat.

Petrus acerrimus ſcelerum vindex fuit. Duos equites, Petrum ſcilicet Coëlho, et Albinum Gonſſalves, quorum aſtu, et inſtigatione Alfonſus pater uxorem ſuam Agnetem a Caſtro morti tradiderat, in vincula conjecit, et ſui ſceleris poenas luere acerbiſſimas coëgit. Nam Petri Coëlho cor a pectore, Albini vero a tergo palam extrudi, ac diſcerpi juſſit.

Hic, ut litibus pabula ſeduceret, cauſidicos, procuratores, rabulas Regni ſui ſolum vertere compulit. Aequiſſimus alioqui nomophylax fuit.

Pontis oblivionis exſtructio illius monimentum eſt; juxta quem Limiam civitatem condidit, eamque moenibus, ac arcibus obvallavit. Pons ille in Hiſpania aliis longe principatus praeſtantia antecedit.

Obiit in oppido de *Eſtremos* 18. die Januarii, anno 1367. Ejus corpus Agnetis a Caſtro oſſibus ſepulchro appoſitum eſt.

No-

Nonus Rex.

Ferdinandus 1. Petri 1. filius, regna- 1367.
vit annos 26. menſes 9. Ex Regina
Leonora Telles de Meneſes, Luſita-
na, filiam extulit Beatricem, quam Jo- 1.
anni 1. Caſtellae Regi matrimonio copu-
lavit; filios praeterea duos, quos infantes 2, 3.
mors ab hac luce abegit.

Iſabellam filiam naturalem, quae Al-
fonſo, Comiti de *Gyon*, Henrici 2. Ca- 4.
ſtellae Regis filio nupſit. Et

Hoc regnante Joannes, ejus frater, In- 1374.
fans, et regni haeres, Reginae Leonorae calliditate, et verſutia perſuaſus de falſo uxoris ſuae adulterio, ipſi manum violentam in civitate Conimbricenſi intulit. Cum tamen omnes fere probatae notae viri egregie de illius uxoris caſtitate, ac integritate ſenſerint. Hujus vero perſuaſionis in Regina cauſam fuiſſe nonnullis placet: ut Joannes hic, exſtincta uxore ſua Beatrice, filiam ipſius Reginae in matrimonium, aut ipſammet etiam Reginam duceret; quod Ferdinandus indies adverſa valetudine conflictaretur.

In ciuitate Olyſipponenſi e vivis exceſſit Ferdinandus die 20. Octobris, anno 1383. Cujus corpus in conventu ſancti Franciſci Santaranenſis, ordinis Mino-

rum,

rum, juxta matrem Infantem Conſtantiam Emanuel ſepultum eſt.

Mortuo Ferdinando Joannes I. Rex Caſtellae, Infantem Joannem, Principem Portugalliae, ad ſe fuga receptum, cum fratre Dionyſio in caſtellum Tolleti relegavit. Hinc caſtellum *Almonacid* petere juſſit, ut ita ratione uxoris Beatricis, Ferdinandi filiae unicae, rerum in Portugalliae regno potiretur.

Garibay p. 4. lib. 34. cap. 39.

Ferdinando e vivis ſublato plebs Olyſipponenſis, furore repentino accenſa, Epiſcopum ipſius civitatis Martinum, natione Caſtellanum, a civitate Samorenſi oriundum, qui ſe in ſummum arcis Eccleſiae majoris cacumen abdiderat, deorſum praecipitem devolvit, quod a Caſtellanorum partibus exſtitiſſet. Poſtea ita humi conſtratum funibus devinxit, devinctum in triviorum plateam extulit, elatumque per totum unius diei curriculum, illic jacentem ſepeliit.

Eodem fere die in civitate Eborenſi, et cuidam Vincentio Anes ſartori, et Gundiſſalvo Anes furor irrepſit, quo perciti per vicos cum vocis ſtrepitu progrediebantur, paſſim acclamantes: Vivat, vivat Portugallia. Cumque reſciiſſent Abbatiſſam conventus ſancti Benedicti, ordinis Ciſtercienſis ſancti Bernardi, Caſtellanorum partibus patrocinari, in eam extra muros habitantem catervatim irruerunt, dein-

deinde per vicos ſublatam, in majori platea, neci tradiderunt.

Ipſomet, et eodem tempore recenſetur et illud de infantula octimeſtri, quae a cunis, in quibus involuta jacebat, ſeſe erigens, in vocem hanc erupit: *Portugal, Portugal por El Reydom Joam.* Ejuſdem generis exemplum ante electionem Antonii in civitate Santaranenſi ab infantulo, multis audientibus, et ſpectantibus, perhibitum eſt. Ne porro eorum omnium, quae Henrici, Cardinalis, et Portugalliae Regis, Gubernatorum. et Antonii tempore contigerunt, fides abrogetur, lectorem monitum velim, me eorum non auritum, ſed oculatum teſtem extitiſſe. Quorum omnium ſuo loco fides eluceſcet.

Gari. bay ibid

Divina praeſagia.

✠ Decimus Rex.

Joannes I. cognomento de Bona memoria, Petri I. filius illegitimus, regnavit annos 50. Hic magiſterio militum ordinis Ciſtercienſis de *Auys*. perfungens, excluſis Joannem Principe, et Dionyſio fratribus legitimis, quos mancipii nexu Joannes I. Rex Caſtellae coarctatos aſſervabat, expuncta denique Beatrice, filia unica Ferdinandi I. Regis, fratris, ejuſdem Joannis Caſtellae uxore, eum diaconatus apud Conimbricenſes per-

1383.

Garibayp. 4. lib. 34. cap. 40.

Franciſcus Tarapha l. 1. fol. 727.

ſonam ſuſtineret, in conventu ſancti Franciſci. ordinis Minorum, conſpirantibus

Joannes Vaſens cap. 19. *fol.* 175. *Regis. Filii. Nepotes.*

populorum ſuffragiis Portugalliae Rex delectus eſt, et a ſummo Pontifice confirmatus. Illi conjugali thoro juncta eſt Philippa, Henrici 4. Angliae Regis ſoror, et Joannis de Gandavo Ducis de Lancaſtro filia, quae plures ejus opera liberos extulit. Nempe Blancam, et Alfonſum, quibus immatura mors infantiae ſurgentis uſum ademit.

1\. 2, 3. Eduardum ſucceſſorem.

4\. Petrum, Ducem Conimbricae, Montiſque majoris veteris, et de *Aveiro* Dominum, primaeque ſtrenuitatis Principem; qui poſt mortem fratris Eduardi 1. Regis plerumque a conventibus populorum, ipſe omnino reſiſtens, gubernator, et defenſor Portugalliae delectus fuit. Cui deſponſata eſt Iſabella de Aragam, Joannis Comitis de *Urgel* et de *Ajar* filia, ex qua genuit

1\. Petrum, Portugalliae Comeſtabilem, cui Catalanorum calculo Aragoniae ſceptrum delatum eſt, cum Barchinoniae comitatu, regioque inſignitus titulo vitam cum morte commutavit.

2\. Iſabellam, Alfonſi 5. Portugalliae Regis conſanguinei proximi uxorem.

3\. Joannem, Antiochiae Principem, ex jure uxoris Carlotae, filiae Joannis 2. Regis Cypri, Hieruſalem, et Armeniae, et Elenae Paleolochae, neptis Imperatoris

ris Orientalis. Quem Joannem veneni portio morti addixit, priuſquam Carlotae, ejus conjugi, Regnorum haereditatem capeſſere licuiſſet. Regis Filii. | Nepotes.

Philippam, quae in conventu monialium ſancti Bernardi de *Odivellas* vitam egit, atque peregit, ibidemque ſepulta eſt: 4. 4.

Cum Laurentii Juſtiniani, Patriarchae Venetenſis, librum e latino ſermone Luſitana oratione ſibi traducendum, atque accurate adornandum componeret, Beatricem, quae viro uſa eſt Adolpho domino de *Rebaſtem*, ducis clevenſis filio. Et 5.

Jacobum, qui Cardinalis, et Archiepiſcopus Olyſipponenſis fuit, idemque cum in perpetua ſui coelibatus ſtatione permanſiſſet, ne diu in vitae uſura permaneret, praecoci morte prohibitus eſt in civitate Florentia. Hujus corpus in monaſterio extra urbem ſepulturae laude donatum eſt. 6.

Joannem, ſancti Jacobi magiſtrum, Portugalliae Comeſtabilem, qui filiam Ferdinando Nepoti ſuo deſpondit, alteramque Iſabellam, Joanni 2. Caſtellae Regi, quae Alfonſi Caſtellae, qui infans vita ceſſit, mater fuit, et Iſabellae Catholicae, Caſtellae, Legionis, et Aragoniae Reginae. 5.

Ferdinandum, ordinis militum Ciſtercienſis de *Avys* Magiſtrum, et Salvaterrae Dominum, inculpatae probitatis vi- 6.

 rum,

Regis Filii rum, cui, et ob vitae ſanctimoniam, et morum integritatem in beatorum claſſe ſedes inſtituta eſt. Cujus corpus in conventu de Bello, ordinis Praedicatorum, in ſacello ſimul cum patre, et matre, ac fratribus honorifice reconditum jacet, miraculorum ſpecimine maximo conſpicabile.

7. Henricum, ducem de *Viſeu*, et ordinis militum Jeſu Chriſti magiſtrum, aſtrologiae notitia nobilitatum, quippe qui in Atlantico mari primus novarum inſularum inuentor perhibetur.

8. Iſabellam, Philippi 3. Burgundiae ducis, comitiſque Flandriae uxorem, quae ante initum cum viro ſuo conjugium, monaſterium ſancti Hieronymi de *Peralonga*, primam, extremamque manum admovit.

9. Philippam, Erici Daniae Regis uxorem.

10. Joannam, Henrici 3. Regis Caſtellae conjugem tertiam.

ET

11. Leonoram, quae nupſit Petro 4. Aragoniae Regi.

Duos itidem ex Luſitania Agnete filias naturales ſuſcepit, Beatricem, comitis

12. de Arandel, et Borgae in Anglia conjugem.

ET

Alfonſum, primum Ducem Bragantiae, uxorioque jure Comitem de *Barcellos*. Cui in uxorem deſponſata eſt Beatrix,

trix, filia inviĉtiſſimi Comitis Nonii Alures Pereira, Portugalliae Comeſtabilis, cujus ſuppetiis atque ſubſidio regnum Portugalliae, quod Caſtellanorum imperio, ob nobilium defeĉtionem, pene jam planeque parere cogebatur, Joannes de Bona memoria percepit. Habuit Alfonſus ex Beatrice conjuge filios duos: primum ſcilicet Jacobum Comitem de *Ourem*. Et *Regis Nepotes.*

Ferdinandum Comitem de *Arrayolos*, qui patri et fratri, in ſtatibus ſucceſſit; cui caeteri Duces Bragantiae, genus et originem ſuam debent. 1. 2.

Hujus Alfonſi pronepos, et ex aſſe haeres eſt Dominus Franciſcus, Portugalliae Comeſtabilis, et Comes de *Vimioſo*; cujus ea et nominis, et nativi ſplendoris, et multiplicis ſcientiarum ſuppelleĉtilis, et rerum geſtarum celebritas, tam mirabiles in omnium animis excitavit ſui amores, ut in bello Africano captus, ſua ipſius gratia, et divinae indolis aculeo ſe, liberrimamque ſalutem a Rege Marrochiorum redemerit. Hoc vero omnium maxime in commendatione verſatur, quod nunquam vel latum unguem a primaria ſuae in verum Regem, patriamve fidei ſtatione deflexerit. Imo, ut olim in Nonio Alures Pereira, Portugalliae Comeſtabili, a quo originem ducit; ſic in eo, ut in baſi firmiſſima, regni Portugalliçi ſalus niti, ac ſpirare videatur. Cujus gratia, et merito hoc tetraſticum erumpit:

Non aquila imbellem generat criſtata columbam,
Semine cum patrio patria corda fluunt.
Una ſalus patriae Nonio ſpiravit in illo:
Auſpice Franciſco patria ſpirat adhuc.

Anno 1385. die 14. Auguſti Joannem 1. Caſtellae Regem in campo inter *Alybarrota et Porto de mos* armis ſuperavit. Cum caſtra Joannis, Regis Caſtellae 38. millibus militum, illius vero ſeptem tantum conſtarent. Eo in praelio quamplurimi Principes, Caſtellanique Proceres occubuerunt: Portugallenſes vero pauci. Ex quibus ſigillatim nonnullos percenſere operae pretium eſſe duxi.

Primum ex Caſtellanis hi perhibentur.

Petrus de Aragam, Alfonſi de Aragam filius, Marchio de *Vilhena*, et primus Caſtellae Comeſtabilis.

Joannes de Caſtilha, Dominus de *Aguilar de Campo*, filius Domini Telli, cui Cantabriae dominium ſubmiſſum fuit.

Ferdinandus de Caſtilha, Sanctii Comitis de *Albuquerque* filius. Hi Regiae ſtirpis Hiſpanicae erant.

Petrus Dias Danas, Prior ſancti Joannis de Malta in Regno Caſtellae, a Galliſia oriundus,

Jacobus Manriques, regni Caſtellae praefectus, Pe-

Petrus de Mendonça, Regis Caſtellae Oeconomus, vulgo *Mordomo mor.*

Joannes Fernandes de Tobar Architalaſſus, in regno Caſtellae, vulgo *Admirante.*

Jacobus Comes Sarmento, Regni Galliſiae Gubernator.

Petrus Carrhilho, Marichal in Regno Caſtellae.

Albinus Gonſſalves de Sandoval, cum fratre Ferdinando Gonſſalves.

Thomas Ramires de Arevalo.

Joannes Ortins das covas.

Gundiſſalvus de Cerbantes.

Rodericus Bravo, Et

Ferdinandus Carrilho. Quorum omnium nobilitas, et rei ſtrenue gerendae peritia, magnam apud ſuos, exteraſque gentes nominis celebritatem aſſequabatur.

Mortem etiam oppetiit Monſieur de Ria, Regis Galliae legatus, et cubicularius, qui tunc temporis apud Joannem I. Caſtellae Regem exiſtebat, eumque a bello incepto ſuaſione dimovere conatus fuerat.

Ex Portugalliae Regno mortuorum albo recenſentur hi.

Joannes Alfonſus Tello, Portugalliae Archithalaſſus, et frater Leonorae Reginae, Ferdinandi I. Regis Portugalliae uxo-

uxoris. Cui Rex Caſtellae Comitatum de Majorga honoraria gratia detulerat.

Petrus Alfonſus Pereira, Magiſter ordinis de Calatrava in Regno Caſtellae, et Jacobus Alures, ejus frater,

Gundiſſalvus de Azavedo, et Albinus de Azavedo, ejus filius.

In praelio hoc non niſi appetente nocte receptui cantum eſt. Quo tempore fuga ſaluti ſuae conſuluit Joannes, Caſtellae Rex: magnis quippe itineribus ad civitatem Santaranenſem, quae a praeliari planicie decem circiter leucas abjuncta erat, contendendo pervenit. Hinc ad portum maris juxta Olyſipponenſem civitatem viam inflexit, et conſcenſa navi in Hiſpalenſem evectus eſt. Concertationis locus templo auctior factus eſt, quod Nonius Alures Pereira Divo Georgio, cujus auſpiciis ipſe cum aliis in hoſtes Caſtellanos impetum fecerat, conſecravit. Verum a Rege Joannem de Bona memoria, ab imo ad ſummum poſitus eſt inſignis ille Mariae victricis conventus, ordinis Praedicatorum (vulgo *Dabatalba*), ut celeberrimae hujus victoriae, ex Caſtellanis partae, memoria per manus poſterorum tradita ab oblivionis injuria vindicaretur, eique magnam auri et argenti cenſum, textiliumque idumentorum copiam ſuppeditavit.

Anno 1390. Eccleſia Olyſipponenſis metropolitana facta eſt a Bonifacio 9. Pontifice maximo. Hu-

Hujus aetate conſtat, detectas eſſe inſulas *de Portu Sancto*; et de *Madeira*, quae ſacchari, vinique generoſiſſimi feraciſſima eſt.

Septam, Africae civitatem antiquiſſimam, totius Hiſpaniae portum, in Luſitanorum ditionem die 14. Auguſti redegit.

Oppidum de *Almetrim* extruxit, tum in oppido de *Sintra* baſilicam, et etiam in caſtello Olyſipponenſi, et de *Serra* juxta oppidum de *Almeirim*, et de *Vallada* juxta civitatem Santaranenſem baſilicam erexit; ad multa monaſteria mentis ſuae cogitationem convertit.

Hujus ſtatuto ſublata eſt illa ſcribarum conſuetudo, qua in tabellis ſuis factorum, ac tranſactorum tempora ab Auguſti Caeſaris imperio perſcribebant; juſſumque eſt, ut a nativitate domini noſtri Jeſu Chriſti anni ſuam denominationem acciperent.

In civitate demum Olyſipponenſi vitae foro ceſſit die 14 Auguſti anno 1433. Cujus corpus in conventu ſuo de Bello, ordinis Praedicatorum, terrae demandatum eſt.

UNDECIMUS REX.

1433. Regis Filii | Nepotes.

EDuardus 1. Joannis 1. filius, regnavit annos 5. Illi nupſit Leonora, Ferdinandi 1. Aragoniae Regis, et Siciliae, Ioannisque Regis Navarrae ſoror, et Alfonſi Regis, cognomento Magni; ex cujus partu illi prodierunt, Alfonſus ſuc-

1 ceſſor.

Ferdinandus, dux de *Viſeu*, qui uxo-

2. rem habuit Beatricem, filiam Joannis, Comeſtabilis Portugalliae, et ſancti Jacobi Magiſtri, cui ſuſcepti hi ſunt liberi,

Jacobus dux de *Viſeu*.

1. Emanuel, qui per electionem populi, mortuo Joanne 2. ſucceſſit.

2. Leonora ejuſdem Joannis 2. conjunx.

3. Iſabella, Bragantiae ducatrix. ET

4. Philippa, quae in infantiae exordio fa-

5. tis conceſſit.

Leonora, Friderici.

3 Imperatoris conjunx, et Maximiliani 1. Imperatoris mater: qui Maximilianus pater fuit Philippi, Archiducis Auſtriaci, Comitis Flandriae, Caroli 5. Imperatoris patris.

Joanna, Henrici 4. Regis Caſtellae

4. uxor.

ET

Catharina, quae mortuo Carolo Prin-

5. cipe de Viena Navarrae, et Aragoniae hae-

Digitized by Google

haerede, cum quo deſponſata erat, monaſterium monialium ſanctae Clarae, civitatis Olyſipponenſis ingreſſa eſt. Iterum Eduardo 4. Angliae Regi deſponſata, in ipſo monaſterio extremum vitae diem terminavit.

Obiit Eduardus in civitate de *Tomar* (olim Nabantia) die 9. Septembris, anno 1438. Cujus corpus in aede conventus de Bello, ordinis Praedicatorum, tumulatum eſt.

Duodecimus Rex.

Alfonſus 5. Eduardi 1. filius, cognomento Africanus, cum infantiae annum unum, menſes 7. non exceſſiſſet, urgereturque pater corporis infirmitate, anno 1433. ejus poſtulatione exoratum eſt, ut, eo communibus populorum conventibus in Principem, lecto, tot fratrum, qui haereditati imminebant, diffidia dirimerentur. Hinc Portugallenſes, ſuperſtite Rege, heraedes Principes vocarunt, et non Infantes; ut antea. Sceptri dignitas ei ſexenni et nonimeſtri impoſita fuit. 1438. *Gari-bay p.* 4. *lib.* 35. *cap.* 9.

✠ Anno 1439. conſpirantibus in unum populorum ſententiis adminiſtrator, et regni propugnator dictus eſt Infans Petrus, et eadem opera expuncta fuit Regina Leonora, ipſius Alfonſi 5. mater, nec *Gari-bay ibidem cap.* 15.

Regis Filii. nec morae quidquam intulit Eduardi teſtamentum, quo eam regni tutricem ratam, atque acceptam eſſe perceperat.

1. Anno 1448. duxit uxorem Iſabellam, Infantis Petri patrui ſui filiam, ex qua illi ortus eſt Joannes primogenitus, qui in cunabulis morte peremptus eſt.

2. Joanna, monialis in conventu de Jeſu in oppido de *Aueiro*, ordinis Praedicatorum. ET

3. Joannes, qui patri in regno ſucceſſit.

Hic primus Africani titulum meruit, multis, magniſque victoriis potitus eſt: *Alcaçere Seguer*, *Arzillam* civitatem, et *Tingitaniam* a Mauris captas Luſitanis dedit.

Obiit in oppido de *Sintra*, die 24. Auguſti, anno 1481. in eadem camera, qua natus eſt, eodemque die. Cujus corpus in conventu de Bello, ordinis Praedicatorum, ſepultum eſt, cum regnaſſet annos 43.

DECIMUS TERTIUS REX.

1481. JOannes 2. Alfonſi 5. filius, regnavit annos 14. menſes 2. Is ſummi nominis Rex, et cognomento Pacifici fama commendatiſſimus fuit. In matrimonium ſibi aſſumpſit Leonoram, Infantis Ferdinandi patrui ſui filiam, quae ex ipſius opera peperit,

Regis. Filii. | Nepotes.

Alfonſum Principem, cui Iſabella Ferdinandi 6. Regis Aragoniae filia obtigit.
Hic, vivo adhuc patre, in civitate San- 1.
taranenſi lapſus infauſti injuria ad ſuperos conceſſit. Illi namque funus cum multis lachrymis, et ſingultu ſpiritus, non ſolum patris, ſed univerſi populi, in conventu de Bello, ordinis Praedicatorum, procuratum eſt. Erat enim non ſolum virtute ſingulari praeditus, verum etiam moribus commodiſſimis ornatus, et propter naturae clementiam omnibus charus, atque periucundus.

Suſcepit et filium illegitimum, Geor- 2.
gium, ordinis ſancti Jacobi, et Ciſtercienſis de *Avys* Magiſtrum, qui duxit Beatricem, Alvari filiam, qui Alvarus Ducis Bargantiae frater erat.

Genuit Beatrix Joannem, Ducem de 1.
Aveiro, a quo caeteri Duces deſcendunt.

Alfonſum de Lancaſtro, qui multos, 2.
et legitimos filios reliquit.

Ludovicum, qui duxit Magdalenam 3.
de Granata, Regis Granatae, cognomento *Chichito*, ex filio Joanne Infante neptem, quae multos peperit filios.

Helenam, ordinis ſancti Jacobi, in 4.
conventu omnium ſanctorum commendatiſſimam. Et tres alias filias, quae mo- 5.
nialium albo aſcriptae ſunt in conventu 6.
ſancti Joannis Baptiſtae, in oppido de 7.
Sethtubal ſito, ordinis Praedicatorum.

Habuit etiam duos illegitimos filios 8.9.
mo-

monachos, unum ordinis ſanƈti Hieronymi, et alterum ordinis Heremitarum ſanƈti Auguſtini.

Hic hoſpitali omnium Sanƈtorum juxta divum Dominicum, in civitate Olyſiponenſi, ampliſſimis cenſibus cumulato egenorum inopiae conſuluit.

Is in hymenaeo filii ſui Alfonſi cum Iſabella, Ferdinandi 3. Regis Aragoniae filia prima, celebrando, tam feſtivo Indorum ſpeƈtaculorum apparatu publicas aures, et oculos excepit; tanta indumentorum, lapillorum, ſuppelleƈtiliſque denique varietate ſuis numeris abſoluta illi fidem incubuit: ut praeclara antiquorum feſtorum memoria multis partibus hac una pompa inferior ſit. Omnia ut ſuis partibus plene conſtarent, nullam non Angliae, Galliae, Flandriae, Italiae partem perluſtrandam, et inde deliciarum quidlibet aduehendum curavit.

Hic, ſui imperii exercitio primo fungens, Luſitanos navibus inſtruƈtos nova juſſit quaerere regna, et terras penitus tentare repoſtas. Nec mora voti compotes faƈti, inviſas gentes naƈti ſunt, et Bonae Spei Promontorium tranſcurrerunt navigatione ad 150. leucas peraƈta. Hinc ingentia auri argentique pondera adveƈta, quae excudi juſſit anno 1485.

Anno 1487. die 7. May e portu Olyſipponenſi Luſitani ab eo miſſi in extraneas, et novas terras ſolverunt; Neapolim,

Rhodum, Hieruſalem, Alexandriam, Cairum, Adem, Ormum, Calecut, et regiones pleraſque, non ſatis illuſtratas, peragrarunt.

Fuit vir ille clarus et excelſus, infeſtus improbis, bonis propitius, juſtitiae cupidus, et omni genere virtutis admirandus. Erat praeterea acer et ſtrenuus, et in re militari non pauca dederat egregiae fortitudinis et induſtriae documenta. Tantaque erat illius animi magnitudo, ut quavis corpore in patria conſiſteret, mente tamen orbem terrarum peragraret, multaque animo frequenter agitaret: quae ſi non fuiſſet immatura morte ſublatus, nomen illius clariſſimum reddere potuiſſent. Fortes viros uſque adeo amabat, ut quidam reliquas vitae maculas nomine virtutis militaris eruerent. Ignavos autem, atque deſides ita contemnebat, ut homines non duceret. Perfecit autem, ut qui magnis opibus inſolentius efferebantur, illius in vindicando ſeveritatem pertimeſcerent: ut qui propter humilitatem obnoxii erant injuriae, praeſidio illius vitam ſecūre traducerent. Attulit ille quidem multis viris nobilibus necem; et Principes, et jam ſibi ſanguine conjunctos interfecit, quos animadvertebat, aut parum obſequentes eſſe, aut perniciem in illum machinari. Sed id, niſi feciſſet, neque regiam dignitatem tueri, neque vitam conſervare potuiſſet.

Va-

Valebat multum ingenio, plurimamque ab illo acutiſſima dicta referuntur. In Regum conſiliis, de quibus dubitabat, explorandis erat mira quadam ſagacitate praeditus; multoſque viros primarios multis in locis beneficiis ſibi arctiſſime devinctos habebat, ut eorum conſiliis obſiſteret.

Populi non tam illum, ut Regem verebantur, quam ut parentem amabant: eorum enim commodis animo patrio conſulebat.

Haec autem illius ſententia merito laudari ſolet, ut diceret: Sibi non tam propoſitum eſſe, ut operis hominum ad aurum quaerendum abuteretur, quam ut aurum quaereret, quo opibus ſuis hominum inopiam ſublevaret.

Cum accepiſſet, eſſe volucrem, quae roſtro pectus dilacerat, ut pullos, ſerpentum morſibus exanimatos, ſanguine ſuo profuſo in vitam revocet, ejuſdem volucris imaginem ſuis inſignibus adjungendam curavit: ut oſtenderet, ſe eſſe paratum pro illorum ſalute ſanguinem ſuum profundere.

Ex omnibus tamen virtutibus, quibus illum praeditum fuiſſe commemorant, nulla fuit admirabilior, ſingulari quodam pietatis, et religionis ſtudio, quo mirifice flagrabat. Nunquam enim eum neque turbulenta negotia, neque conjurationes

ones contra illum factae, neque malorum omnium tempeſtates a rebus divinis, ſumma cum religione procurandis, abſtraxerunt.

Hujus non ſolum in bello Hiſpanienſi contra Ferdinandum 5. Regem inviƈtiſſimum, admirabilis virtutis lumen eluxit; ſed etiam in Africano bello clariſſimum ſpecimem egregiae virtutis exhibuit. Illi denique nemo praeclaris animi, et virtutum dotibus par, nemo aetate ſua ſecundus fuit.

Fortitudo ejus eos gloriae radios diffuderat, ut et hoſtibus terrori haberetur. Hac enim praeſtantiae fama commoti Sarraceni, Zamoram, Africae civitatem, incolentes, decem millia aloſarum in veƈtigal ſponte ſua, ultroque illi expenderunt.

E vita exceſſit in oppido de *Aluor* anno 1495. die 18. Oƈtobris, cujus corpori appoſitum eſt ſepulchrum in cathedrali Eccleſia civitatis Sylvenſis.

Poſtmodum anno 1499. Emanuel, ſolemni ritu, et omnium populorum conſenſione ſucceſſor, ut Joannis reliquiae, in loco ſibi eleƈto conderentur, in Algarbium cum Georgio, ipſius Joannis filio illegitimo, et multis praeterea viris, nobilitate, et virtute praeſtantibus profeƈtus eſt. Aperto autem ſepulchro Joannis corpus integrum inventum eſt, ex quo ſuaviſſimum odorem diffuſum fuiſſe

memorant, cum ingenti omnium admi-
Oſorius ratione. Nam ſupra quatuor annos, in
lib. 2. eo ſepulchro conſtitutum jacuerat. Ad-
fol. 41. debant permulti, fuiſſe illi, editis in eo loco miraculis, egregiae ſanctitatis teſtimonium a Deo tributum. Fuit autem tam ſolemni pompa delatum, et tanta hominum frequentia, et celebritate, quae illud proſequebatur, ornatum, uſque eo dum in ſepulchro conderetur in conventu de Bello, ordinis Praedicatorum, unde et hodie cum ſindone, et goſſypio integrum eſt. Illius conventus religioſi vertente anno funeris, non miſſa de requie, ſed de feſto omnium Sanctorum celebranda, ipſius nomine Deo preces fundunt.

✠ Decimus Quartus Rex.

1495. Emanuel 1. Eduardi 1. ex filio Ferdinando nepos, populi electione, in oppido Salacenſi, vulgo (*Alcacere do Sal*) Portugalliae Rex delectus eſt. Regnavit annos 26. menſem unum cum dimidio. Tres illi conjuges nupſere. Prima Iſabella, Ferdinandi 5. Aragoniae Regis filia prior, quae Alfonſo Principi, demortui Joannis 2. filio, deſponſata fuit. Cujus jure conjugali in Caſtellae, Legionis, et Aragoniae regno evectus eſt. Ex illa ſuſcepit.

Mi-

Michaëlem, quem infantem aura aetherea mors cum matre damnavit. Qua defuncta uxorem duxit Mariam ſororem, 1.
et ejuſdem Ferdinandi natam tertiam, cujus ex partu filium habuit

Joannem ſucceſſorem. 2.

Iſabellam, Caroli 5. Imperatoris uxo- 3.
rem, quae illi peperit

Philippum, Caſtellae Regem. 1.

Mariam Maximiliani Imperatoris con- 2.
jugem, Et

Joannam, quae Joanni Principi Portu- 3.
galliae, Joannis 3. filio nupſit, cujus opera Sebaſtianum 1. qui avo ſucceſſit, peperit.

Beatricem, Caroli 3. Allobrogum Du- 4.
cis uxorem. Ex qua filios duos habuit,

Carolum, qui juvenis in Hiſpania mor- 1.
te praereptus eſt, Et

Emanuelem Philiſbertum, qui patris 2.
ſucceſſor extitit.

Ludovicum, primae ſtrenuitatis Prin- 5.
cipem, cujus ſplendor alios ſuae aetatis Heroas poſt terga longe reliquit. Qui Ludovicus natus eſt in oppido de *Abrantes*, cis Tagum in edito colle ſito, anno 1506. die 3. Martii, die Sabbathi, hora 2. matutina. In quo quidem Principe fuit ſummum virtutis, ingenii, humanitatis, et religionis ſpecimen; tantiſque laudibus excelluit, ut a multis non ſolum ſuae ſtirpis, et totius honoris, et gloriae, ſed etiam orbis ter-

Oſorius lib. 2. *fol.* 41.

memorant, cum ingenti omnium admiratione. Nam ſupra quatuor annos, in eo ſepulchro conſtitutum jacuerat. Addebant permulti, fuiſſe illi, editis in eo loco miraculis, egregiae ſanctitatis teſtimonium a Deo tributum. Fuit autem tam ſolemni pompa delatum, et tanta hominum frequentia, et celebritate, quae illud proſequebatur, ornatum, uſque eo dum in ſepulchro conderetur in conventu de Bello, ordinis Praedicatorum, unde et hodie cum ſindone, et goſſypio integrum eſt. Illius conventus religioſi vertente anno funeris, non miſſa de requie, ſed de feſto omnium Sanctorum celebranda, ipſius nomine Deo preces fundunt.

✠ Decimus Quartus Rex.

1495. EManuel I. Eduardi I. ex filio Ferdinando nepos, populi electione, in oppido Salacenſi, vulgo (*Alcacere do Sal*) Portugalliae Rex delectus eſt. Regnavit annos 26. menſem unum cum dimidio. Tres illi conjuges nupſere. Prima Iſabella, Ferdinandi 5. Aragoniae Regis filia prior, quae Alfonſo Principi, demortui Joannis 2. filio, deſponſata fuit. Cujus jure conjugali in Caſtellae, Legionis, et Aragoniae regno evectus eſt. Ex illa ſuſcepit.

Mi-

Michaëlem, quem infantem aura aetherea mors cum matre damnavit. Qua defuncta uxorem duxit Mariam ſororem, 1.
et ejuſdem Ferdinandi natam tertiam, cujus ex partu filium habuit
Joannem ſucceſſorem. 2.
Iſabellam, Caroli 5. Imperatoris uxorem, quae illi peperit 3.
Philippum, Caſtellae Regem. 1.
Mariam Maximiliani Imperatoris conjugem, Et 2.
Joannam, quae Joanni Principi Portugalliae, Joannis 3. filio nupſit, cujus opera Sebaſtianum 1. qui avo ſucceſſit, peperit. 3.
Beatricem, Caroli 3. Allobrogum Ducis uxorem. Ex qua filios duos habuit, 4.
Carolum, qui juvenis in Hiſpania morte praereptus eſt, Et 1.
Emanuelem Philiſbertum, qui patris ſucceſſor exſtitit. 2.
Ludovicum, primae ſtrenuitatis Principem, cujus ſplendor alios ſuae aetatis Heroas poſt terga longe reliquit. Qui Ludovicus natus eſt in oppido de *Abrantes*, cis Tagum in edito colle ſito, anno 1506. die 3. Martii, die Sabbathi, hora 2. matutina. In quo quidem Principe fuit ſummum virtutis, ingenii, humanitatis, et religionis ſpecimen; tantiſque laudibus excelluit, ut a multis non ſolum ſuae ſtirpis, et totius honoris, et gloriae, ſed etiam orbis ter- 5.

Regis Filii. | *Nepotes.*

rarum imperio digniſſimus haberetur. Non enim indigenis ſolum, verum etiam extraneis chariſſimus fuit; et propter ejus probitatem, famam, animique conſtantiam inter hunc et Reginam Angliae Mariam conjugii conſortium ineundam oblatum eſt. Cui ideo non acceſſit, quod (ut multi nobiliſſimi, ac religioſi authoritate ſumma digni affirmarunt, et per publicam ſententiam a Domino Emanuele Dalmada, Angrienſi Epiſcopo, et ordinis ſancti Joannis de Malta judice Apoſtolico, determinatum fuit) uxorem haberet occulte, et privatim: ex qua filium unicum ſuſcepit.

1. ANTONIUM, qui per electionem populi regno Portugalliae ſucceſſit. Carolus 5. Imperator, et Caſtellae Rex, ejuſque cognatus ſaepenumero eum ad regni ſui Caſtellae conſortium invitaverat, ejuſque ſubſidio Golletam arcem, et civitatem Tunetum, quod eſt regni caput, et ſecundum Hiſtoricos antiqua Carthago, a Mauris ſuſcepit. Habebat enim ſecum maximam Luſitanorum claſſem, quam Rex Portugalliae, Joannes 3. ejus frater, illi paraverat.

Hic tamen Ludovicus, quamvis virtutis militaris, et Imperatoriae diſciplinae egregie inſtructus fuiſſet, et pacis etiam artibus cum magna omnium admiratione floruiſſet, nulla tamen clarior laus apud illum viguit ardentiſſimo pietatis ſtudio.

Quo

Quo quidem adeo flagrabat, ut, quamvis *Regis Filii. Nepotes.*
in corpore maneret, anima tamen in coe-
lo plerumque verſaretur.

Ferdinandum, qui multum valuit in- 6.
genio; fuit in antiquitatibus perveſtigan-
dis valde curioſus, maximo rerum ſtudio
flagrabat, multiſque virtutibus, illo lo-
co dignis, praeditus erat. Uxorem du-
xit filiam Comitis de *Marialua*, et in ju-
ventutis flore immatura morte ſine libe-
ris in oppido de *Abrantes* ſublatus eſt.

Alfonſum, qui ſacerdotiis ampliſſimis 7.
ornatus, et in Cardinalium collegium
cooptatus, ſingulare ſpecimen religionis,
probitatis, et magnificentiae praebuit,
ſummum ſui deſiderium relinquens e vita
diſceſſit.

Henricum, Cardinalem, et Archiepi- 8.
ſcopum Eborenſem, qui poſt mortem pa-
tris, et Joannis fratris, ac Sebaſtiani ne-
potis in regno Portugalliae per populi e-
lectionem ſucceſſit.

Eduardum, qui natura mitis, et cle- 9.
mens exſtitit, muſicis, et venationibus
deditus, univerſis propter benignitatem, et
humanitatem charus, et perjucundus fuit.
Cui matrimonio conjuncta eſt Iſabella, Jo-
annis Bragantiae Ducis filia, eximia pul-
chritudine, magniſque virtutibus ornata,
quae illi Mariam, Principem Parmenſem 1.
peperit. Quae Maria uxor fuit Alexan-
dri, Principis Parmenſis, Ottavii Par-
menſis Ducis filii, cujus opera Rainu-

Regis fi-lii. Ne-po-tes. tium et alios liberos edidit.
Catharinam, Joannis Ducis Bragantiae
2. conjugem, Et
3. Eduardum, qui in juventute, plenus bonis operibus, e vita migravit.
10. Catharinam, Et
11. Antonium, qui in cunabulis obierunt.

Tertiam uxorem duxit Leonoram, Caroli 5. Imperatoris ſororem, quae omnibus multis voluntatis egregiae ſignis inſitam benignitatem teſtificata eſt. Ex
12. qua filiam unicam habuit Mariam, quae ingenio, et animi magnitudine, et opibus ſummis excelluit, quamvis variis caſibus innupta manſit, et a paucis annis in civitate Olyſipponenſi e vita migravit.

Mortuo vero Emanuele Leonora Franciſco 1. Galliae Regi nupſit.

Hic Judaeos omnes infidelis fidei tenaces, et in incepto perſtantes a regni ſui finibus, ſociſque patriis extorres exulare coëgit.

Suo et tempore crevit ordo militum Jeſu Chriſti, qui multis bonis auctus, et amplificatus eſt.

Emanuel autem cum videret, quod diſcrimen impenderet, tam militibus hujus ordinis, quam reliquorum omnium
1. (ſi enim contra fidem Chriſto obligatam libidinem minime refraenarent, neceſſe erat, ut ſcelus nefarium ſuſciperent, et ſimul ne illis, qui ex religioſis militibus

na-

naſcerentur, eſſet illa macula generis inuſta, quae nothis omnibus, quamvis ſint nobiliſſimis parentibus procreati, ſubeunda eſt), poſtulavit ab Alexandro Pontifice maximo, ut ſolveret ea perpetuae caſtitatis religione omnes equites Luſitanos, qui deinceps alicujus religioſae militiae ſacramento tenerentur. Illi namque, qui jam erant ſolemnis voti religione obſtricti, fieri non poterat, ut, ſalva ipſius religionis fide, eandem licentiam impetrarent.

Conceſſit id ſummus Pontifex anno 1496. atque deinceps licuit omnibus, qui in aliquam religioſam militiam adſciberentur, uxores ducere: exceptis ſolum Hoſpitalenſis ordinis equitibus, qui, in quibuſcumque partibus ſint, eadem perpetuae caſtitatis religione conſtringuntur.

Milites Sacri per Luſitaniam caſtitatis religione ſoluti.

Haec autem Regis providentia, qua, ut videbatur, ſceleribus occurrebat, et ſuos magno incontinentiae periculo liberabat, a multis laudari ſolet.

Ego vero ſtatuere non poſſum, utrum ſic multo majorem peccandi materiam ſuis attulerit illa ipſa, quam ſubtrahere ſummo ſtudio concupivit. Primum enim, nunquam illius diſciplinae laxamentum potuit eſſe ſalutare. Quocirca ea, quae fluunt, ſevere devincienda ſunt, et eo, unde deciderant, reducenda: ſi volumus, ut quae laudabiliter inſtituta ſunt, eundem ſemper fructum, et utilitatem reti-

Vide ſanctos Doctores, praeſertim Paul. Ap. D. Tho. Aq. a.

 ne-

2. Hier. tom. 2. adverſ. Jov. neant. Deinde propter nuptiarum curas cernimus, illum antiquum ardorem, qui erat in religioſis militibus ad dimicandum, eſſe jam magna ex parte reſtinctum. Minus enim expediti, et minus alacres ſunt, et cum breve aliquod tempus bellicis in rebus inſumpſerint, citius et libentius, quam decet, etiam amplectuntur. Deinde tunc, cum erat illis matrimonium interdictum, credibile eſt, multos fuiſſe, qui non tam utilitatis, et emolumenti cupiditate, quam pietatis ſtudio religionem aliquam ſuſciperent. Nunc vero, poſtquam de religione detractum eſt, quod nimis aſperum multis eſſe videbatur, ſuſpicari non abſque ratione poſſumus, omnes, qui, ut in aliquam ejuſmodi militiam adſcribantur, elaborant, cupiditate tantum, et ambitione ad ſtudium militiae illius impelli. Poſtremo, hoc cupiditatis introitu multo latius, quam antea patefacto, paulatim eo deventum eſt, ut, quae erant optime fundata, laberentur, et ruerent. Cernimus enim, fidem datam Chriſto contemni, res ſacroſanctas violari, ſacra vectigalia ab hominibus audacibus et flagitioſis occupari; qui nunquam hoſtis vultum aſpexerunt, opibus ad ſanctos uſus deſtinatis affluere, illiſque ad luxum, et vitae laſciviam intemperanter abuti. Sed haec, quae curare non poſſumus, lamentari deſinamus,

Au-

Anno 1503. concilium regni totius indixit, ut populorum fidem ſacramento Joanni filio ſuo primogenito obligaret. Quod ſumma omnium voluntate factum eſt.

Anno 1507. Sultanus, Aegypti Imperator, magnam claſſem, magnis praeſidiis, et munitionibus ornatam, et inſtructam in Indiam immiſit, ut Luſitanos penitus everteret. Hanc claſſem non ſolum, ut ſibi illatam injuriam vindicaret; ſed etiam, ut Regibus Calecutii, et Cambajae ſatiſfaceret, comparaverat.

In hac claſſe miſit multos ex illis, quos Mamalucos appellabant: qui in pueritia a Chriſtianis parentibus per vim adducti, et Mahumetanis inſtitutis imbuti, et armis diligenter exercitati, bellicae diſciplinae laudibus excellebant. Hos Indi Rumes, hoc eſt Romanos, vocabant. Nam cum ex antiquis monumentis accepiſſent, quantum Romanum imperium reliquis gentibus militari gloria praeſtitiſſet, Romanos eſſe judicarunt. *Indi Mamalucos Rumes appellarunt, i. e. Romanos.*

Quemadmodum poſtea, cum Luſitanos animadverterent eadem prope diſciplina bellicas res adminiſtrare, Francos nominarunt. Francorum enim nomen ex eo tempore, quo Hieroſolyma duce Godofredo capta eſt, per omnes ſolis orientis regiones maxima cum gloria pervagatum fuit. *Indi Luſitanos Francos appellarunt.*

Claſſis igitur hujus magnitudo, et mi-

litum etiam fortitudo Indorum animos varie commoverat, quae tamen poſt varia diſcrimina partim merſa, partim capta, partim denique fugata fuit.

Oſorius lib. 8. fol. 225

Anno 1511. Ferdinandus, Rex Caſtellae, literas a Julio ſummo Pontifice percepit, quibus idem Pontifex ſignificabat, ſe cum Venetis, et Helvetiis, et Maximiliano Caeſare contra Ludovicum, Galliae Regem, ſocietatem coire. Quapropter ab illo contendebat, ut vellet iiſdem foederibus alligari. Aliter enim regnum Neapolitanum, ne de manibus elaberetur, eſſe maxime formidandum. Tulit illud permoleſte Ferdinandus: ut tamen regni Neapolitani praeſidia firmaret, ſe ſocium foederis adſcribi voluit. Emanuelem deinde ad ejuſdem foederis ſocietatem invitavit. Emanuel aſſentiri nullo pacto ſuſtinuit. Imo cum ſub id tempus ſex Galliae triremes, Duce Petro Joanne Gallo, Olyſipponem appulſae fuiſſent, is ducem comiter accepit, et commeatu juvit.

Amicitia et fides Regum Portugalliae in Reges Galliae.

Anno 1520. Maximilianus Imperator e vita diſceſſit, De ſucceſſione imperii erat apud Germanos diſceptatio. Multi namque ad Franciſcum Valeſium, Galliae Regem, inclinabant; multo tamen plures animis in Carolum propendebant. Carolus tamen in Germaniam, quaſi ad imperium minime dubium, multorum literis evocatus eſt.

Is

Is, antequam ex Hiſpania diſcederet, omnium ordinum concilium indixit, et praeter pecunias, quibus Hiſpani illum juverant, immania tributa populis imperavit. Unde factum eſt, ut multae Caſtellae civitates a Carolo deſciverint, et multi viri nobiles ſe multitudini duces, et authores praeburint.

In civitatibus, quae a Principe ſuo defecerant, inteſtinae ſeditiones excitabantur, ferroque, ac flamma omnibus, qui Principum partibus ſtudebant, accerrime minabantur. Interim caedes, incendia, et horribiles armorum fremitus terrorem paſſim incutiebant.

Antonius Fonſeca Medinam campenſem urbem opulentiſſimam, quae Caroli partibus adverſabatur, inflammavit, et mirabili illo incendio maximas opes abſumpſit.

Nemini tunc in populis ſapienter, et libere loqui licebat. Si enim aliquis diceret, uniuscujuſque eſſe libertatem modice tueri, non cum legitimo Principe ad internecionem dimicare, ſcelus illud erat continuo morte accerbiſſima luendum. Multis in locis, ubi cauſa libertatis agebatur, ne gemitus quidem civis ullius liber erat.

Principes communi conſilio cum civitatibus, quae minime rebellarunt, ad Regem Emanuelem legatos miſerunt, ut auxilium adverſus rebelles ab eo poſtularent;

rent: ſimul et Hiſpaniae populi, qui a Carolo deſciverant, ad eundem Regem legatos miſere.

Summa legationis haec erat. Se tantis injuriis vexatos exſtitiſſe, ut non potuerint ullo modo tam indignas contumelias perferre. Se civitates, et moenia, et arces, atque denique rerum ſuarum omnium poteſtatem illi tradituros. Orare deinde et obſecrare, ut regnum illud opulentum, ipſius Emanuelis ſtudio vehementer incenſum, ſuſcipere vellet, et injurias immeritis illatas vindicare.

Laudabilis animi moderatio in Emanuele. Oſorius lib. 12. fol. 334.

Emanuel munus oblatum repudiavit, et legatos admonuit, ut diſcerent fidem erga Reges conſervare, et modum cupiditati ſtatuere. Si vellent errorem agnoſcere, et veniam a Carolo poſtulare, ſe ad compoſitionem libenter operam ſuam polliceri. Quod vero ad oblatum regnum attinebat, ſe nunquam ullum imperii additamentum fide, et officio antiquius habiturum. Principum autem legatis, operibus magis, quam verbis reſpondendum exiſtimavit. Itaque eos tormentis, et munitionibus, et pecunia juvit.

Si curſum vitae Emanuelis conſideremus, hominem certe feliciſſimum, ſi felicitas ulla in rebus humanis ſtare poteſt, judicabimus. Regnum miris acceſſionibus amplificavit. Armuzium Arabiae partem, Indiam Indo et Gange definitam, eam etiam, quae ultra Gangem

eſt,

eſt , extremaſque Orientalis ſoli regiones imperio adjecit. Terras incognitas perluſtravit. Multas , nullis hominum pene veſtigiis tritas inſulas , adiit, Imperatores, et Reges multos ac potentiſſimos ſuo imperio ſubegit, eoſque tributarios ſibi fecit. Imperatorum inſuper ſuperbiſſimas claſſes, fortiſſimum impetum, et inſolentiſſimam arrogantiam per mare compreſſit, eoſque maxima militum manu ſtipatos per terram debellavit.

Emanuelis ſtrennitas, ac Portugallenſium dilatatum Imperium.

Quanto tamen ſtudio Mahumetis nomen exſtinguere conaretur, urbes, quae illius imperio, et induſtria captae ſunt, arces ſimiliter in Africae provincia aedificatae, atque munitae declarant.

Huius denique tropaea memorant
Et nati natorum , et qui naſcentur ab illis.

Tempore, quo reliqui Principes Chriſtiani, hujus tanti nominis obliti, acerbiſſimis odiis ſtimulati, in mutuam perniciem ruebant, ut furore coeci opes hoſtium, qui Chriſtianis opibus imminebant, indies amplificabant, erat illius Regis laus illuſtrior, qui pacem cum Chriſtianis Principibus unice colebat , non ullis praemiis allici poterat, ut cum ullo Principe funeſtiſſimi belli ſocietatem iniret.

AdJuliumPontificem maximum legationem decrevit. Summa legationis haec fuit. Principes Chriſtiani inter ſe propria de denominatione cumpericulo univerſae Chri-

anae Reip. dimicare. Opes interim Principis Turcarum, et Sultani etiam vires vehementer amplificari, et rebus Chriſtianis imminere. Neminem vero eorum Principum, quorum officium erat impetum a Chriſtianis propoſita etiam morte reprimere, tanto periculo commoveri. Si gloriae cupiditas ad arma ſollicitabat, quod decus tantum eſſe poterat, quod eſſet cum Chriſti ſepulchro armis vindicato comparandum? Si multa poſſidendi cupiditas ſtimulos illis addebat, cur non animum ad Aſiae, et Aegypti regiones opimas, maximiſque opibus opulentas adjiciebant? Per Chriſtum igitur Optimum Maximum ipſum Julium obteſtabatur, ut omne ſtudium ſuum, omnem virtutem, et induſtriam, omnes curas, et cogitationes in diſcordiis tollendis, et pace conſtituenda conſumeret, et Principes Chriſtianos ad interitum Mahumetani nominis exhortaretur; ut ita ſempiternam gloriam, quae nullis unquam ſaeculis eſſet interitura, compararent: ſe vero ad eam rem regni ſui opes univerſas polliceri, libentiſſimeque per ſe, in tam praeclaro certamine quodvis diſcrimen capitis aditurum.

Fuit vita continens, natura benignus, religione pius; praeterea mitis atque manſuetus, et in ſumma gravitate comis ac perhumanus. Aditus facillimos habebat, in adminiſtrando jure, et negotiis impigre

gre gerendis ſummam diligentiam adhibebat. Erat in ſermone jucundus, et non mediocri urbanitate praeditus, et admodum liberalis. Milites alebat; res praeclare geſtas, non ſolum laudibus, ſed multis etiam muneribus, et beneficiis proſequebatur.

Domeſticorum neceſſitatibus ſumma benignitate conſulebat. Egentium inopiam opibus ſuis egregie ſuſtentabat. Viris religioſis, et virginibus ſacris non ſolum ea, quae ad cultum religionis, verum etiam, quae ad domeſticum uſum pertinebant, large, et munifice ſuppeditabat.

Erat in ſceleribus vindicandis, et erratis ſuorum coërcendis ſeverus; quamvis eſſet natura magis ad lenitatem, quam ad ſeveritatem propenſus.

Muſica multum delectabatur, ſed non ita, ut muſicae ſtudium illum a negotiis avocaret. Favebat plurimum literis. De moribus externis multa percontari ſolebat. Hiſtorias libenter audiebat. Quoties cibum publice ſumebat, erant epulae magis jucundo, et utili ſermone, quam coquorum artificio conditae.

Nobiles adoleſcentes cum virginibus Regiis in aula, ſine ulla libidinis ſignificatione ſaltabant, et quamvis honeſtiſſimis amoribus indulgerent, virginibus erat inſitum, neminem ad familiaritatem admittere, niſi illum, qui aliquid fortiter, et animoſe bellicis in rebus effeciſſet. Pueris enim ne-

nobilibus, qui in aula Regia verſabantur, non erat licitum pallium virile ſumere, antequam in Africam adverſus Sarracenos trajicerent, et aliquod inde decus egregium reportarent.

Eccleſiae ſanctionibus alacri ſanctitate parebat, mores, et ritus ab Eccleſia conſtitutos ſumma ſanctitate, et ceremonia tuebatur. Multas ſanctorum hominum religiones inſtauravit. Sic autem religionem colebat, ut nunquam ſtudium publici juris, et Reipublicae rationem intermitteret. Hominum querelis aures aſſidue praebebat, commiſſa facinora vindicabat.

Is denique fuit, qui ſecundam, et adverſam fortunam moderate ſemper ferendam arbitraretur; et omnia, ut Chriſtianum Principem decebat, ad judicium numinis Divini, quod falli non poteſt, pie revocaret.

Hujus auſpiciis erecta eſt civitatis Elbenſis Eccleſia primaria, Eccleſia ſanctae Mariae Magdalenae in civitate Oliventiae, Eccleſia ſanctae Miſericordiae in civitate Olyſipponenſi; ex qua, tanquam ex principe fonte, omnes ſanctae miſericordiae conſeſſus per univerſum Portugalliae regnum emanarunt.

Caeterum illius fama, multa aliorum inexſtructa, pleraque et opimo cenſu lau cta monaſteria, meritorum monumentis impreſſa, ſaeculorum omnium memoria vi-

ge-

gebit. In his praelucet liberalitatis ejus ſplendor in exſtruendo, et irrogatis privilegiis exornando monaſterio de Bethleem, ordinis ſancti Hieronymi, a civitate Olyſipponenſi per ſex milliaria diſtante.

Inde et memoratur conventus de noſtra Domina *da Serra*, ordinis Praedicatorum, non longe ab oppido de *Almeirim* exſtructus. Nec ſilentio praeteriri poteſt, conditum ab illo divi Thomae Aquinatis in civitate Conimbricenſi collegium.

In anni 1521. exitu Rex Emanuel, qui eo tempore maxime opibus, et imperio, ſummaque nominis gloria, et celebritate florebat, et optima, ut videbatur, valetudine, et corporis robore, et incolumitate vigebat, in morbum ſubito incidit, ex quo poſt dies novem, tertia decima Decembris, ex hac vita migravit. In ipſo vitae fine inſitae religionis, et pietatis documenta dedit. Animum ſacris ſanctiſſimis expiavit, mortis certiſſimae nuncium aequiſſimo animo tulit; ſacerdotes, qui illum circumſiſtebant, et hymnis atque precibus ad Deum adhibitis, vota pro illius ſalute ſempiterna faciebant, adjuvabat, et verſus ſacrorum carminum multis in locis memoriter pronunciabat. Fuit in *Bethleemitico* templo, quod fundarat, cum multis lachrymis, quas deſiderium ipſius excitabat, cum regio funere, omniumque ferme Principum, et

nobilitatis univerſae celebritate in ſepulchro conditus.

Decimus Quintus Rex.

1521. Joannes 3. Emanuelis 1. filius, regnavit annos 36. qui quidem Joannes natus eſt Olyſippone anno 1502. In ejus ortu tam ſaeva tempeſtas excitata fuit, quantam nunquam homines, ſumma ſenectute praediti, in vita meminerant. Coelum enim, tenebris denſiſſimis obductum, tam crebro tonabat atque fulgurabat, ut eos etiam, qui fortes exiſtimabantur, ingenti formidine perterreret. Adhaec multa loca de coelo tacta fuere; excitati turbines arbores evellerunt; imbres effuſi non vias tantum, ſed aedes etiam quam plurimas aquis impleverunt.

Regis Filii. Is in uxorem aſſumpſit Catharinam, Caroli 5. Imperatoris ſororem. Ex ea hos liberos habuit.

1. Alfonſum.
2. Catharinam.
3. Beatricem.
4. Emanuelem.
5. Philippum.
6. Antonium.
7. Alterum Alfonſum, qui omnes ab ineunte infantia e medio praerepti ſunt. Et
8. Joannem Principem, cui conjugali thalamo Joannam Caroli 5. Imperatoris

ris copulavit, quae illius opera Sebaſtianum peperit, qui poſt avum regnavit. Hic Joannes Princeps 3. die Januarii anni 1555. e vita migravit.

Habuit etiam filium illegitimum, Eduardum; cujus vita in ipſo adoleſcentiae flore praecoci obitu deflorata concidit. 9.

Hic miro clementiae et comitatis amore benevolos omnium animos ſibi conciliavit, religionis cultu, et pietatis integritate bene apud omnes audiit. Erat natura clemens atque benignus, et ad pietatis ſtudium valde propenſus.

Indorum Orientalium finibus multum ſui imperii terminos propagavit.

Celeberrimum, ac ampliſſimum conventum, ordinis de Jeſu Chriſto, in civitate de *Thomar* de novo exſtruxit, ac inſtauravit, ſummiſque reditibus amplificavit: ei enim in tota Hiſpania aequalis non facile invenitur. Eum in civitate Olyſipponenſi aedes eaedem, quae naſcentem exceperant, fatis concedentem exceperunt die 11. Junii, anno 1557. Cujus corporis in conventu *Bthleemitico*, ordinis ſancti Hieronymi, juſta ſepulchri facta ſunt.

Decimus Sextus Rex.

1557. Sebaſtianus 1. Joannis 3. ex filio Joannis nepos, regnavit annos 21. menſem 1 dies 26. Hic ad arma capeſſenda ſumma animi praeſentia propenſiſſimus fuit. In Africa cum Rege Marrochiorum Mule-Hamet, cui ſubſidio futurum conſcripſerat exercitum, ſimul cum Mule-Maluco, qui ab eodem Mule Hamet regni clavum acceperat, vitae ſuae ſummam totam percurrit 5. die Auguſti anni 1578. aetatis vero ſuae anno 24. menſe 6. die 15. cujus oſſa in primaria civitatis Septae eccleſia humo mandata ſunt.

✠ Decimus Septimus Rex.

1578. Henricus Cardinalis, et Archiepiſcopus Eborenſis, Emanuelis 1. filius, regnavit annum 1. menſes 5. totidemque dies. Hic a ſenatu Olyſipponenſi, mortuo Sebaſtiano nepote, in Regem lectus eſt 26. die Auguſti anno 1578. in eccleſia Hoſpitalis omnium Sanctorum, et communi totius regni ſuffragio ſtabilitus. Natus eſt anno 1512. die 1. Februarii, quo etiam mortuus eſt: eo quidem die, quo hic in lucem editus fuit,

Oly-

Olyſippo plurima nive conſperſa fuit: in qua quidem urbe, propter coeli temperiem, monſtri ſimile eſt, partem aliquam nivis intueri.

Hic, cum in principio ſui Imperii populum ad Antonium nepotem, fratris ſui Ludovici filium, qui e captivitate Sarracenorum divino numine evaſerat, (fuerat enim in bello Africano, ubi Sebaſtianus cum duobus Marrochiorum Regibus interiit, captus,) inclinantem vidiſſet. eum inteſtino odio perſequutus eſt. Verum poſt paucos dies, regno graviſſimis diſſidiis, et controverſiis flagrante, luna eclipſin patiente, morte ceſſit in oppido de *Almeirim* die 1. Februarii, anno 1580 Ejus corpus ſacello Regio tectum exſtat.

✠ Gubernatores et Defensores.

Quinque Gubernatores et Defenſores poſt mortem Henrici regnarunt menſes 4. dies 19. Hi in vita Henrici, eo quod eſſet debilis, et ſenio confectus, et propter imminens diſſidium, a conventibus populorum in civitate Santaranenſi electi fuerunt, ut poſt mortem Henrici regnarent, gubernarent, et defenſarent regnum, quoad uſque ſtatutum eſſet, quis eſſet haeres inter tot com-

petitores; an populus haberet jus eligendi; quod luce meridiana clarius erat. Res enim ex communi mente fidei viginti quatuor procerum mandata fuerat, qui ad hanc litem componendam undecim ex illis ſeligerent. Sed interea, dum maturior conſultationis ratio initur, Philippus, Rex Caſtellae, manu armata ſibi ipſi hanc controverſiam diremit. Tunc tres ex iis, patriae ſuae proditores, Regis Caſtellae pollicitationibus, et fraude pellecti, in ipſius manum Portugalliae regni authoritatem tranſmittere voluerunt, ſententiamque, cujus nullum jus habebant, in regno Caſtellae pro Philippo tulerunt, cum populus reluctatus illi fuiſſet, ANTONIUMque Regem una voce erexiſſet.

Nomina Competitorum, haec ſunt.

ANTONIUS, Regis Emanuelis ex filio ſecundo Ludovico nepos.

Catharina Bragantiae Ducatrix, Regis Emanuelis ex filio Eduardo neptis.

Philippus, Rex Caſtellae, Regis Emanuelis ex filia Iſabella nepos.

Emanuel Philiſbertus, Dux Sabaudiae, Regis Emanuelis ex filia Beatrice nepos.

Raynutius, Mariae Parmenſis filius, quae Maria Regis Emanuelis ex filio Eduardo neptis erat.

Sereniſſima ac Chriſtianiſſima Regina Catharina de Medicis, Henrici 2. Francorum Regis uxor, et Henrici 3. Francorum et Poloniae Regis mater. Et

Populi Portugallenſes, qui, ne jure ſuo fruſtrarentur, etiam Henrico, et Gubernatoribus clavum regni tenentibus, procuratores, per quos tota controverſiae cauſa diſceptaretur, ſuis impenſis accivcrunt. Quorum voce ii Gubernatores ſanciti fuerunt, qui eo e vivis ſublato, regni gubernaculis praefuerunt. Enimvero populi ſuopte nutu, et tanquam in ultima comperendinatione electionis cauſam ſtatuere, ſuo jure poterant. Sed tamen, cum nullam adeundae haereditatis partem jure ad Philippum, Regem Caſtellae, redire ſatis ſuperque intelligerent, id totum judicum ſententiae competere, et in ea ſiſtere voluerunt: alioqui enim, ut poſtea manifeſtis argumentis indicarunt, dum in civitate Santaranenſi ANTONIUM una voce proclamarunt, longe aliter rem iſtam ſecundum ANTONIUM conſtituiſſent.

✠ DECIMUS OCTAVUS REX.

ANTONIUS I. Regis Emanuelis I. ex Ludovico filio nepos, ob exhibita omnium oculis ſingularia, et prope divina egregiae indolis, moderati animi, 1580.

 et

et morum ſanctimoniae ſpecimina, unanimi procerum Portugallenſium electione die 19. Junii, anno 1580. infra octavas S. Antonii Olyſipponenſis, cognomento Paduani, ordinis Minorum, in civitate Santaranenſi, impoſitam ſibi Portugallici gubernaculi provinciam, et tutelarem curam, ſuſcipere adductus eſt: cum jam nimis diuque taederet civitates omnes Philippi, Caſtellae Regis effraenatae libidinis, qui technis, atque arte Pelaſga tres jam civitates Portugalliae invaſerat.

Ipſo deinde die, eademque in civitate, horis pomeridianis concurrentibus in unam et mentem, et vocem populi univerſi ſuffragiis, illi, quantumvis reclamanti, ac reſtitanti, multis civitatum, ac oppidorum procuratoribus aſſiſtentibus, fides ſtabiliti regni facta eſt.

Poſtmodum in civitate Olyſipponenſi, Portugallenſium Metropoli, conſtitutioni ipſius congrua populorum comitia album calculum adjunxerunt.

Ipſius demum ANTONII, non ſine numine divûm, regio ſolio appoſiti imperium, ultro citroque Africanorum multi, inſularum maritimarum accolae; ii denique, qui regio ipſius circulo includuntur, ſubiere; ipſiusque etiam, nunc licet ab aris ſuis propriiſque regni focis Tyrannico inſultu exulare coacti, juſſa aequa animi propenſione capeſſunt.

In his egregiae ſtrenuitatis ſuae argumenta

ta edunt Insulani, de Jeſu Chriſto, ut vel ex eo praelio, inito die 25. Julii, ſancti Jacobi feſto, anno 1581. ab aurora ad veſperam, videre eſt: in quo eorum manu octingenti circiter Caſtellani milites occubuere; in quorum albo ducenti etiam militum praefecti numerantur: Luſitani vero milites tantum viginti et quatuor.

Hi porro, ut luculentiorem obſervantiae ſuae naturalis fidem faciant, cum permultis aliis naves, mercibus onuſtas, Caſtellanis ereptas, Regi ſuo proprio et vero advehunt, ipſumque indies per legatos de his, quae illic geruntur, certiorem faciunt, quem ſummus ille, ac praepotens, hujus univerſitatis rerum Architectus Deus, paſſis velis, felici tranſcurſu, ad optatum quietis, et amoenioris vitae portum pervehere dignetur. Amen!

His ubi crux lateri chartae ſuppoſta videtur,
Eſſe puta electos populari jure Monarchas;
Hoſque per Heroas, Heros ANTONIUS *exſtat.*

TITULUS REGUM PORTUGALLIAE.

Dom Antonio per graça de Deos Rey de Portugal, Rey do Algarve da quem, è Rey do Algarve da lem mar em Africa; Senhor de Guiné, eda conquiſta, navegaçam, e comerçio de Ethiopia, Arabia, Perſia, Indias, e Ilhas do mar do Chil, e da terra nova, è Braſil.

Hi ſunt, qui poſt Regem dominantur, in Portugallia.

COMESTABILIS

nunc D. Franciſcus de Portugal, *et Comes de Vimioſo, ille eſt, cui a ſuperis, non modo patria ejus alumna, ſed et totus orbis fauſtum rerum ſucceſſum conceptis votis expetere debet.*

DUCES,

Bragantiae,
Conimbricae,
de Barcellos,
de Aveiro.

MARCHIONES,

de Villa Real.
de Ferreira.
de Monte Moronovo,
de Tores Novas.

COMITES,

de Vimioſo,
de Ourem,
de Arrayolos,
de Faro,

de

de Loulé,
de Atougia,
de Torres Vedras, EMANUEL a SYLVA *nunc eſt, cujus fideliſſima conſtantia domi, militiaeque ſpectata, ut ſemper antea, ita et nunc feliciſſime utitur et fruitur Rex* ANTONIUS,
de Marialva,
de Penella,
de Prado,
de Borba,
de Alcoutim,
de Tentugal,
de Demira,
de Feira,
de Villa Nova,
de Redondo,
de Monſanto,
de Arganil,
de Sortelha,
de Portalegre,
de Vidigueira,
de Caſtanheira,
Vice Comes Delyma.
Regni Archithalaſſus, vulgo *Almirante*,
Baro de *Alvito*,
Praefectus, vulgo *Regedor*,
Gubernator Olyſipponenſis.

ARCHIEPISCOPI,

Braccarenſis, primas Hiſpaniae,
Olyſipponenſis,

Ebo-

Eborenſis.

EPISCOPI,

Guarduenſis, *D. Joan. de Portugal*, *nunc eſt D. Franciſci Comeſtabilis patruus*, *qui in bene merendo de Regis*, *et communi patriae ſalute tanta pectoris praeſentia ſeſe domi*, *foriſque geſſit*, *ut eum*, *tanquam legitimum parentem jure Reſpublica ſua uno ore agnoſcat.*
Conimbricenſis,
Viſcenſis,
Portuenſis,
Lameſenſis,
Sylvienſis,
Mirandenſis,
Lereenſis,
Elbenſis.

PRIORES,

Ordinis Jeſu Chriſti,
Ordinis S. Jacobi,
Ordinis Ciſtercienſis *de Avys*,
Ordinis S. Joannis *de Malta.*

Praeter iſtos ſunt multi extra regnum Archiepiſcopi, Epiſcopi, et Domini; et in India Orientali Vice-Rex, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, Dominis, et Regnis praeeſt.

APPROBATIO OPUSCULI.

NOs ſubſignati Doctores, ordinis Praedicatorum, omnibus, ad quos ſpectabit, ſignificamus, nos legiſſe libellum, cui *Titulus* eſt: De Portugalliae Ortu, etc. in quo nihil reperimus contrarium fidei Catholicae, nihilque, quod nobis viſum ſit Regi, aut regno Gallorum adferre praejudicium. Actum Pariſiis die 17. Decembris, Anno Domini 1581.

BOURGOING PRIOR. M. FERRE.
DE DUMO DOCTOR, ET REGENS.

PRIVILEGIUM GALLIAE REGIS.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France et de Pologne : A noz amez et feaulx les gens tenans noz Cours de Parlement, Prevoſt de Paris, Senechal de Lyon, et à tous autres noz Juges et officiers qu' il appartiendra, et à chacun d'eulx, Salut. De la part de noſtre cher et bien aymé Reverend Pere, Frere Joſeph Texier Portugais. Nous a eſté humblement expoſe qu'avec beaucoup de ſoing,

ſoing, eſtude, et diligence, il auroit redigé par eſcrit la Genealogie des Roys de Portugal, et compoſe un Livre intitule : De Portugalliae ortu, Regni initiis, et denique de rebus a Regibus, univerſoque Regno praeclare geſtis Compendium : ex fidelibus ſpectatiſſimorum hiſtoricorum monumentis excerptum *per* R. P. F. JOSEPH TEXEIRA, Luſitanum, ordinis Praedicatorum, ſacrae Theologiae profeſſorem, et Regis Portugalliae concionatorem. *Ce qu' il deſireroit bien faire Imprimer en noſtre Royaume, pour la commodité et utilité publique: et à ceſt effect choiſir quelque perſonnage qui peuſt repreſenter leſdicts Livres, en beaux et bons carracteres s'il nous plaiſoit ſur celuy octroier noſtre permiſſion et privilege, pour ce, eſt-il, que nous diſirans favoriſer le labeur dudict ſuppliant, et que noz ſubjects en puiſſent tirer quelque fruict et inſtruction: Avons audict Frere Joſeph Texier, de noſtre grace ſpecial pleine puiſſance et auctorité Royal, permis, accorde, et octroyé, permetons, octroyons et accordons par ces preſentes: qu'il puiſſe, et luy ſoit loyſible ladicte Genealogie, et Livre deſſuſdict par tels Libraires et Imprimeurs que bon luy ſemblera, et qu'il vouldra choiſit et commettre., et ce pour le temps et eſpace de ſix ans, à commancer du jour et datte de ceſdites preſentes: en vertu et conſequence deſquelles il pourra bailler et preſter ſon conſentement pour l'impreſſion deſdicts Livres à celuy ou ceux qu'il aura eſleu pour ce*

fai-

ſaire. Deffendant treſ-expreſſement par ces meſmes preſentes, à tous Libraires Imprimeurs, et autres qu'il appartiendra d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, et diſtribuer les ſuſdicts Livres pendant ledict temps de ſix ans, ſur peine de confiſcation d'iceux et de tous deſpens dommages et intereſts, ſi ce n'eſtoit du vouloir et conſentement dudict Texier: voulant à ceſt effect qu'appoſant un Extraict ſommaire deſdictes preſentes au commancement ou à la fin deſdicts Livres, elles ſoyent tenues pour deuëment ſignifiees, et veuës à la cognoiſſance particuliere d'un chacun, ſans que lon en puiſſe pretendre cauſe d'ignorance. Si vous mandons et ordonnons, que du contenu en ceſdictes preſentes, vous faictes ſouffrez, et laiſſez ledict Texier, ou celuy ou ceux des Imprimeurs et Libraires qu'il choiſira pour l'impreſſion deſdicts Livres, jovyr et uſer pleinement, et paiſiblement, et contre ceux qui y contreviendront proceder par les voyes deſſuſdites. Non obſtant oppoſitions ou appellations quelconques, pour leſquelles ne ſera differé, Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le vingt-ſixiéme jour de Janvier, mil cinq cens quatre-vingts-deux. Et de noſtre Regne, le huictiéme.

Ainſi ſigné,	HENRY
Par le Roy,	DE NEUF-VILLE.

KURTZE ANZEIG,

Auſz was ehafften, und erheblichen urſachen der Durchleuchtigſt, und Machtigſt

FURST,

ANTONIUS

IN

PORTUGAL,

Und Algarbien Koenig, bewegt den zu waſſer und landt angefangenen, wider den Koenig zu Caſtilien, und alle welche demſelben mit gunſt und hulff in einigen weg zugethan ſeind, verfolge.

82

KURTZE ANZEIG,

Auſz was ehafften, und erheblichen urſachen der Durchleuchtigſt, und Machtigſt

FURST, ANTONIUS IN PORTUGAL,

Und Algarbien Koenig, bewegt den zu waſſer und landt angefangenen, wider den Koenig zu Caſtilien, und alle welche demſelben mit gunſt und hulff in einigen weg zugethan ſeind, verfolge.

ANtonius von Gottes gnaden in Portugal, Algarbien, auch diſſeits, und uberhin deſz Aphricaniſchen meers Koenig; Guineae, der gewerbſchafft und ſchiffungen gehen Aethiopien, Arabien, Perſien, und Indien, mit Krieg eroberten, Herr. Allen, und ieden welchen es vonnotten fuegen wir zuwiſſen.

 Wie

Wie woll wir, als erb allein manlichs geſchlechts, auſz dem Koeniglichen ſtam Portugal und allen anderen ſo wol von Manlichem, als auch Weiblichem ſtam, einen grad zuvor und naher, nemblich deſz Ludowici einiger Son, welcher der zweit nach Joanne dem dritten, des Emanuelis alteſter Son geweſen, unſer Grosvatter Vatters Bruder und Herr, und in anſehung dieſes der verwandtſchafft und ſtam rechtens, ſich aller billichkeit nach gebueren wolt, dz wir dem Reich und deſſen verwalttung vorgeſetz wurden, und Henrico ſeliger gedachtnuſz unſers Vatters Bruder und Herren nachvolgen und ſuccediren ſolten. Edoch, dieweil es mit einem Koeniglichen geſetz von unſers Vatters Bruder verordnet und verſehen war, dz welcher nach des Reichs recht und ſucceſſion trachtet inſtrumenta bey den Koenig furbrachte und hinderlegt damit dem rechten erben das Reich adjudicirt und zu geſprochen werdt, auff das nach ſeinem toedtlichen abgang von den Stenden des Reichs, rechtlichen und nicht mit gewapneter handt die unrichtigkeit und zweitrack entſcheiden wurdt. Wie wol uns auch nicht unbewuſt, wie der Koeniglichen Mayeſt. auſz Franckreich mutter die Allerchriſtelichſte Koenigin, der Koenig in Caſtilien, die Hertzogin zu Bragantz, der Hertzog in Saffoy, des Fürſten von Parmon Son, und etliche

an-

andere Furſtmeſſige perſonen, ihmen eintheil von rechts wegen dieſes Reichs zueigenen. Doch haben wir uns durch begirde und liebt der billigkeit, ehr, und der ellenden betruebten voelcker obbemelter Reich heil, wolfart und friedenſtandt bewegen laſſen, und dieweil wir nichts liebers und hoehers geachtet, dan vielbemelts unſers Vatters Bruders und Herrens, willen mit allem moeglichem fleiſz nach zuſetzen, und uns ſeinen wortten nach zurichten. Haben wir alle gewaltſame handlung hinderſich gelegt und viel mehr alle hulff und zuflucht zu der gerechtigkeit gehabt, ſein auch ieder zeit der troeſtlichen zuverſicht geweſen, Gott der Almechtig auch Furſten der Chriſtenheit (der hendel, und wie wir uns verhaltten, verſtendigt) wan wir villeicht in unſer Reich und Landtſchafften beſitz beleidiget wurden, oder auch mit gewaltiger that derſelben gantz entbloeſſet, ſolten uns umb dieſelbige widerumb zueroberen beiſtandt thun noch mit hulff nicht laſſen. Dieſem aber allem und geachtet, hat Philippus in Caſtilien Koenig, noch ſich dem rechten ſtellen, noch einigen geſandten, bey leben deſz Koenigs, daſz man ſich deſz ſtreidts erkundigen, und urtheil fellen moegen zulaſſen wollen: ſonder allermeiſt getrachtet, wie er unſers Reichs landtſchafften mit wutterei, und gewaltſamer handlung uberfallen

 moegt:

moegt: mit gaben und geſchenck etliche unſerer underthanen hinder gehendt, uns alle weg und mittel wider ſeinen gewalt und feindliche anſchleg beraubent (als wir nach entleibung deſz Koenigs, uns nicht mit gewehrter handt ſonder mit recht, und der Stendt erkandtnuſz, welchen von rechts wegen ſolchen ſtreidt zuentſcheiden geburt, vorgenomen hetten, auch einen gewapneten hauffen kriegsvolcks under dem von Alba (welcher menniglichen verhaſt, und ein ſonderlicher aller wutterei anſtiffter) in unſer Reich eingefurt. Wie wol wir von gemeinen ſtenden (wie ſie ſich gar nahe unterdruckt und aufgetilget geſehen) zu des Reichs rechten, und der abgeſtorbenen Koenigen Erb erwelet und von den volck dar fur angenommen, und offentlich auſzgeſchrieben waren, und ohn angeſehen wir, ſolcher auſz Teutſchen, Italianeren, und Spangeren verſambleten kriegsruſtung, im geringſten mit macht nit zuvergleichen: und der Landtſchafften vorgeſetzte, auch welche in hohen und furnemen ampteren waren, von dem Koenig in Caſtilien mit verehrungen und geſchencken, bewegt, albereitz von uns abgewichen waren. Alſo das zu unſerer verkleinerung groſſe und gewiſſe urſach vor handen ware. Nichts deſtoweniger, dieweil uns nicht unbewuſt wie viel eines waren Koenigs ambt (im fall der nott) erh-

erheiſche, umb ſeine betrangte undertha-
nen wider des feindts wutterei zubeſchut-
zen und zuverthedigen, keine gefahr auſz-
ſchlagen, haben wir zum anderen mahel
gegen den machtigiſten hauffen deſz Koe-
nigs in Caſtilien ſchlagt gehaltten. In
welcher (nach dem es Gott alſo geliebt)
wir ſolchen ſchaden erlitten, das zu al-
len unſerer Reich Stadten dem feind
freier zugang geoeffnet worden iſt wel-
cher uns aufs allerungeburlichſt, und nit
wie einem Furſten mit Koeniglichen wur-
den, und Kronen geezieredt woll zuſte-
het, wie wir auff der berghoehe und ver-
borgene oertten in ſtillen verborgen ge-
weſen, alſo verfolgt hatt, das er in ei-
nem offentlichen edict, welches er durch
unſere Reich in allen wegſcheiden und
gemeinen wegen hat laſſen anſchlagen,
und offentlich auſzruffen laſſen, 30000.
Kronen zu einer verehrung und beſol-
dung dem welcher im unſeren thodt an-
zeigen oder aber waſz weiſz oder geſtalt
das geſchehen moegt, mich vom leben
zum thodt hinrichten wurdt, verſprochen
mit weitterer vorſetzung eines Hertzog-
thumbs, wofern der welcher ſolches
verrichten darzu qualificirt und teuglich
ſein wurde. Wie unmenſchlich auch die
barbari und des Chriſtlichen namens feindt
uns zuvervolgen nicht gehandelt, als wir
von denſelben in der niderlag, in wel-
cher der Koenig Sebaſtianus loeblicher

und Gottſeliger gedachnuſz unſer Herr
und Neve, von menge der feindt erlegt
worden iſt, welchen auch Gott in den
heiligen frieden auffgenommen, behalten
worden. Edoch bei wehrender ſolcher
grauſamer wuterei ſein wir durch des Almechtigen
hulff auſz ſeinen handen errittet
und uns vergoennet ſolche ſchwere
und groſſe ſchmach, mit welcher er uns
wider alle recht beleidiget, bei dem Allerchriſtlichſten
Koenig in Franckreich,
ſeiner Mutter der Koenigin in Engellandt
dem Hertzogen in Brabandt und
Angou auch anderen Furſtmeſſigen Perſonen
anzuzeigen und offenbar zumachen.
Welche nach dem ſey unſerer ſach
billigkeit vermerckt, und daſz in gemeinen
rechten heilſamlich verſehen ſeye,
das keiner die ſtreittige ding, und welche
zu der richter gewalt und urtheil geſtelt,
mit gewaltiger handt an ſich ziehe, ſo
fern er der ſach nit, verluſtig ſein woell:
Auch das ſolche miſzhandlung allen umbligenden
Koenigen und Furſten zugroſſem
nachtheil, und ſchaden gereiche, dz
nicht vieleicht andere auch durch ſolche
ſchandtliche und unzimbliche weg und
mittell ihrer haab auch gutter entſetzet
werden: Und das vielbemelter Koenig
in Caſtilien uns die, mit aller Koenigen
nachtheil und der gantzen Chriſtenheit
ſehr ſchadtlichen exempel, zugefugte
ſchaden wider zureſtatten gezwungen

werdt.

werdt. Durch dieſe nemblich nottzwingende urſachen bewegt ſeind etliche Furſtmeſzige Perſonen uns mit gelt und gutt reichlich zuhulff kommen. Mit welcher beyſtandt, auch unſerem ſelbſt koſten, haben wir zu waſſer und landt kriegsruſtung zuſamen bracht unſere landt und herſchafften, welche noch unſerem gebiet und gewalt underworffen, in Africae Indiae orientalis und Americae inſulis, auch in ſtarckem erdtreich gelegen, damit zuerhaltten, und Philippum unſeren feindt auſz allem dem, welches er unbillicher weiſz, und allen rechten zugegen uns uffenthelt, auſz zutreiben, der gentzlichen zuverſicht Gott der Almechtig (zu welches hulff wir allein unſere hoffnung ſetzen) und der welcher durch ungewitter gleich fals der windt gewalt, wie auch unſerer getrewer in der Trecerenſer hinſulen, inderſaſſen, zuthuen und hulff vielfaltige des Koenigs in Caſtilien armaden und kriegsvolck zerſtrewet, desgleichen ihre anſchleg und vorhaben zernichtiget, werde uns auch wider den feindt, mit hoeſchtem lob obſieg ſambt der victorien verleihen, und unſer ſeitz recht und billigkeit ſchutzen. Und dieweil verſcheidener nationen volckern vieleicht unſer vorhaben und vermoegen unbekandt, dnrch haſz unwiſzenheit, auch andere urſachen gezogen, welche in den Landtſchafften dem Koenig zu Caſtilien

ietziger zeit underworffen und ſeinen mitverwandten provincien, zukauffen, zureiſſen und handthierung zutreiben ihnnen frey zu ſein vermeinen moegten, haben wir wit gegenwurtigem unſerem edict, und unſers willens offenen zeugnus ieder menniglich, welche ſolches notturfftig verſtendigen woellen. Wie wol wir keinen Furſten noch gemeinde auſzerhalb des Koenigs in Caſtilien, unſerer Reich inhaberen zubeſchadigen ſonder mit allen anderen gleichen frieden erhalten auch uns gegen ſie aller gunſt und gutwilligkeit gebrauchen vorhabens ſein: Nichts deſtoweniger ſein wir auch (nach aller voelcker recht) allen dennen zuengegen, welche in einerlei weg mit proviant, kriegsruſtung, gelt, rath, oder ſunſt durch andere mittel unſerem feind zuſtehen, genoettig und getrungen worden.

Auſz dieſen beweglichen urſachen angereitzt, haben wir gebotten und gebieten, zugelaſſen, und laſſen zu, allen unſeren kriegsknechten, zu waſſer und landt, alle die zunberfallen, auch feindtlich mit dennen zuhandelen, welche mit deſz Koenigs in Caſtilien landtſaſſen, und zugethanen auch mit conſorten einigerlei weiſz handthierunt treiben oder zuſchaffen haben werden. Und das niemandts billiche ſeiner unwiſzenheit urſach vorwende, haben wir in allen unſers

ge-

gebiets ſtedten, und oertten, diſz edict offentlich auſzſchreien laſſen woellen, wie auch den obgemelten Provintien, auſzlandiſchen Reichen, und an dz meer floſſenden gemeinden ſolches zuwiſzen zufuegen bevollen, underthienig bittent, daſz uns in unſer ſach billigkeit, mehr dan dem Koenig in Caſtilien. unſerer Reich unbefuegten beſitzer, und gemeiner Chriſtenheit feindt beiwhonung und furſchub geſchehen woelle. Verbieten auch allen, welche mit uns in der ruſtung ſeind, das ſie deren keinen im geringſten beſchadigen, ſonder die vilmehr mit gunſt und ſchirm zubegnadigen, welche wir in unſere huldt und glauben auffnemen werden. Auch die von uns, oder dem edlen und furtrefflichen man Petro Doreo (ictziger zeit unſerer ſachen, bei unſerem geliebten und vertrawten Bruder, dem Hertzogen zu Brabandt, und Angou under handleren) auch einem anderen von demſelben in unſerem namen aufferlegt, und namentlich von Franciſco Antonio Sonſana unſer in der Stadt Antorff Kauffhandler, einer freren, und ſicheren gleidts offne brieff haben werden. Datum Junonis den 15. tags May, Anno 1582.

BRE-

Digitized by Google

BREVIS ET FIDA

NARRATIO,

ET

CONTINUATIO

RERUM OMNIUM

A

DRAKO ET NORREYSIO,

Poſt felicem ex Occidentalibus Inſulis reditum, in ſua expeditione PORTUGALLENSI ſingulis diebus geſtarum.

Digitized by Google

O. H.
MICHAËLI
AB
I S S E L T,
Amerſfortio,

S. D. P.

B*Inas a te, amantiſſime* AMERSFORTI*, accepi litteras, eodem pene exemplo*, 13. *Cal. Sept. conſcriptas, fideliter perlatas et firmiter obſignatas, quod ipſum argumento mihi fuit diligentiae tuae: intellexi enim, te laborare, ut ad me tuae exſpectatiſſimae litterae perferrentur. Ex quibus cepi duplicem fructum, mihique ad judican-*

dum

dum difficilem: nam et eiſdem, quantum me amares, abunde teſtatum reliquiſti, quo nihil mihi potuit eſſe antiquius; tum de convaleſcentia Ducis PARMENSIS *mihi plane feciſti ſatis. Nam etiamſi noverim, quam ſit uſitatum apud vos (ubi aliquid ſerio ſit agendum, ubi exercitus ſit contra hoſtem ducendus), nos hujuſmodi vanis et confictis rumoribus ſecuros et conſopitos delinire, ſparſo interim aliquo in vulgus ſermone, vel de morte Regis Catholici, vel de penuria commeatus, vel de pace tanſigenda: tamen cum tam ſerio, et certo ipſius mors nobis fuiſſet perlata, mirum in modum anxii et ſolliciti fuimus. Unde facile conjecturam facimus, quantum valeant hujuſmodi rumores; quantumvis poſt ſeſquimenſem apertiſſime redarguantur. Interim dies elabitur, rerum gerendarum opportunitates intercidunt, actionum multarum vigor omnis et virtus refrigeſcit, praeſertim apud eos, quos parſimonia ad ſecuritatem ſponte allicit et invitat.*

Operae pretium erat audire, quam conſtanter et ſedulo dictum, atteſtatumque fuerit multorum tum ſermonibus, tum lite-

te-

teris, ipſum veneno fuiſſe ſublatum; id factum Ducis PASTRANIAE *artibus et conſiliis, a patre conceſſione impetrata, ut in ipſius locum ſurrogaretur. Inde plurimi tumultus, et diſſidia inter* ITALOS *et* HISPANOS *fore divinabant.*

Alii Regem hianti ore calumniabantur, quod tam fidum ſibi fortemque principem, tam bene de ſe meritum, tam nefando et foedo exitu ſuſtuliſſet.

Alii denunciabant, PASTRANIUM *hoc in mandatis a Rege patre habuiſſe, quod timeret, ne* PARMENSIS *injuria ſibi de* PORTUGALLIA *occupanda, quae jure hereditario ad illum deſcendere (praeſertim ante Regem Catholicum) ipſa Luſitanorum Regum genealogia plane teſtatur, aliquando mentem intenderet; vel quod vereretur, ne ſub ſpecie ſimulatae pacis cum Regina Angliae tranſigeret, ut, diviſa inter ipſos* BELGICA, *totam occuparent, et propterea, cum Regia claſſis praeteriret* CALETUM, *ipſum ex inſtituto in portu* DUNKERCHANO *haeſiſſe cum ſua claſſe et copiis.*

Quiſque pro ſuo judicio multiplices, easdemque diſſidentes opiniones cudebat,

omnes ſibi pacem, tranquillitatem, et ſecuritatem promittebant. Quod mibi de ſubmerſione SCHINKI *retuliſti, dum* NEOMAGUM *occupare putat, fuit etiam pergratiſſimum: erat enim homo acer et pugnax, eamque urbem infenſiſſime oderat, antiquae memor injuriae, quod dum eam pro Rege recuperaſſet,* PARMENSIS *tamen illius praeſidio* ALTAPENNAM *ipſi praetulerit, et propterea ab eo ad Ordines* BELGIAE *defecerit.*

Quod a me ultimo petiiſti, ut te certiorem facerem, quis eſſet ſucceſſus claſſis noſtrae in profectione Hiſpanica: laetor, eam mibi oblatam eſſe occaſionem, qua tibi amorem meum erga te aliquo modo teſtatum relinquerem. Quod eo facilius, et fidelius praeſtiturum me confido, quod in manus meas forte inciderit Diarium, ſive quaedam relatio et ſeries eorum omnium, quae ibi acta et tranſacta fuerint: quam mibi vir bonus et fide dignus, qui et ſpectator, et actor aderat, detulit. Quod obſecro, dum videris, ſi quid occurrat, quod minus pro Regis Catholici dignitate fuerit, ut (tuo more) vel immutandum, vel omittendum, vel penitus invertendum

eſſe

cures: ſatis enim ſcio, quod ſub incude tua venerit limatius proditurum. Eam ego tibi provinciam impono; ipſe autem quae mihi ſunt delata ingenue, et verbatim exponam. Quae tamen ut rite intelligantur, quaedam ſunt altius repetenda.

RELATIO EORUM OMNIUM, QUAE A NORREYSIO ET DRAKO

in ſua expeditione PORTUGALLENSI ſingulis diebus geſta fuerint.

POſtquam ſuperiori anno Catholici Regis claſſis, exſpectatione *Hiſpanorum* invincibilis, ductu Ducis de *Medina Sydonia* in mari *Britannico* partim pugna et incenſis navibus abacta, partim tempeſtatibus et peſte pene obruta et abſumpta fuiſſet; erant duo Equites *Norreyſius* et *Drakus*,

 qui

qui obnixe apud Reginam *Angliae* egerant, ut liceret ipſis expeditionem in *Hiſpaniam* facere. Ipſa autem, pacis et tranquillitatis amantiſſima, eos admodum invita audivit.

Tandem res eſt ad Conſilium et Senatum delata; ibi variis ſententiis certatum. Multae hinc iſtinc quaeſtiones agitantur, et pericula proponuntur. Equites autem, quantum viribus eniti, conſilio providere, authoritate promovere poterant, docent, multo quidem eſſe reipublicae ſalutarius bellum, et belli calamitates in hoſtium agros transferre, et apparatus bellicos, in portubus jam paratos, vel ad novum bellum inferendum denuo parandos, conſumere, devaſtare; quam domi, apud nos, in viſceribus regni, hoſtes in foro, tanquam angues in ſinu fovere, ubi eventus belli incertus eſſe poterit: multoque fore glorioſius, caſtra Anglica *Olyſipponis* portis imminere, quam Anglum vel vallum hoſtium ex moenibus ſuis videre, vel externos milites muros ſcandentes propellere; exemplo *Scipionis*, qui poſt multorum annorum bellum, ingentes acceptas clades, victos exercitus, praeſertim apud *Traſimenum* lacum et *Cannas*, in *Africam* cum exercitu trajecit, ut *Hannibalem* e Romanorum finibus evocaret. Optimum conſilium, optimus exitus eſt conſequutus.

At aliquot viri egregii, optime de repub.

pub. meriti, mirum in modum ſumma contentione iſtam profectionem oppugnant (gloriam fortaſſis aliquam navalem ſibi praereptum iri videntes), non tam, ut ingenue fatear, invidia, quam aemulatione moti, Regiam claſſem periclitatum, diſſidia inter Equites excitum, et publicum inde fiſcum exhauſtum iri contendunt. Hoc ultimum argumentum maxime potens fuit, expeditionemque pene peſſumdedit.

Equites nihilo ſecius, cum viderent, hoc potiſſimum fundamento argumenta eorum niti, publicae utilitati magis quam privato commodo ſervientes, ad cogendas copias, inſtruendam claſſem, omnem denique impenſam, ex publico ſolum 83333. coronatos ſibi dari poſtulant, ita ut, ſi quid ultra expenderetur, id de ſuo, aut ſuis facerent.

Interim dum ita ambiguis contentionibus, de die in diem dilatis, varie eſſet diſceptatum, tempus elabitur: multi a profectione deficiunt, plurimi ſortem, quam promiſerant, negant; militum conſcribendorum ſumptus augeſcit, omnium pene virtus, quam in hac expeditione conceperant, deferveſcit: et, quod maxime obfuit, ingentes, praeter ſpem, hac dilatione Equites impenſas faciunt; adeo ut, quicquid ex ſuo conficere, aut ex ſuis elicere, quod vel oppignorent, vel venderent, id ipſum efficere cogerentur.

Inſuper quingenti equites auxiliarii, quos Ordines Belgiae *Norreyſio* in auxilium decreverant, quamvis eoſdem ipſe ſuo ſumptu ex Hollandia tranſvexerat, in alios uſus detinentur.

Tandem tamen, cum de expeditione conveniſſet, altera enata eſt quaeſtio: an expediret magis in Hiſpaniam, aut Luſitaniam, aut Indias trajicere.

Aderat tum forte Rex *Antonius*, quem Hiſpanus regno Portugalliae expulerat, et avitis ſedibus ejecerat. Docet Nobilitatem, plebem, Luſitanos omnes reducem Regem repetere, eoſque ſibi pecunia, armis, commeatu opem laturos; nihilque ipſis defuturum pollicetur: ſeque nihil aliud ab eis petere, quam ut in patrium ſolum ipſum exponerent.

Res diu multumque agitata eſt. Tandem omnes commiſeratione Regis exulis, avito Regno, patriiſque laribus per tyrannidem deturbati, facile in ipſius ſententiam ſunt adducti: aequum enim erat credere, Luſitanos externum jugum et tyrannum facile exhorruiſſe, nativum Regem, et antiquam libertatem repetiiſſe. Inſuper ſperantes, ubi Hiſpanum Luſitano bello implicaſſent, ſe minori negotio vel Hiſpaniam, vel Indias, quae ſub ejus ditione eſſent, occupaturos.

Quid multa? Undique eſt ad bellum acclamatum, poſtulata pecunia eſt ex publico decreta, militum numeri complentur,

tur, claſſis omnis apparatur, arma capere, et copias cogere coeperunt. Sunt autem *Norreyſius* et *Drakus* exercitus et claſſis deſignati Conſules et Collegae, intercedente Regia authoritate, qui quatuordecim conſtabat legionibus, quarum aliae decem, aliae octo cohortes habuerunt: ita tamen, ut maxima legio mille milites non exceſſerit, aliae non ultra quingentos, quibus ſingulis ſinguli tribuni praeficiuntur, inter quos, praeter ſupremos Conſules, *Gualterus Devereux*, eximiae ſpei adoleſcens, unicus comitis *Eſſexiae* frater, erat etiam magiſter equitum; *Rogerus Gulihelmius* Eques, peditumque praefectus; duo *Norreyſii* fratres, *Edovardus* et *Henricus* Equites, quorum ille tormentis bellicis et munitionibus praefuit; *Jacobus Haylſus* Eques et Quaeſtor, *Thomas Sydnejus* (*Philippi* juxta *Zutphanian* incredibili omnium dolore interfecti frater), *Edovardus Wingfeldius* Eques, *Lanus* delectuum habendorum cenſor, *Umptonus*, *Brettus*, *Huntlejus* et *Medkerkus* Hollandus.

Exercitu ita inſtructo, et unaquaque legione in cohortes diviſa, ſingulis cohortibus etiam ſinguli centuriones ſunt aſſignati, quorum numerum nominatim referre nimis eſſet operoſum.

Rebus ita conſtitutis, *Norreyſius* et *Drakus* Doverum confeſtim contendunt, ubi eodem tempore ſexaginta naves Hollan-

dicae onerariae, bene inſtructae, ad Rupellam ſalis emundi gratia (ut dicebant) profecturae, inexſpectato appulerant, quarum opera ad milites Plimotham transportandos opportune utebantur.

15 Mart. Conſules navem conſcendunt, unaque Rex *Antonius Emanuel*, Portugalliae Princeps, *Botelius*, Dominus de Brug Baro Hibernicus, *Cromwellius*, *Warbartonus*, et alii nobiles plurimi. Sublatis anchoris, 18 Mart. expanſis velis, flante Aquilone poſt triduum Plimotham appulerunt. Ibi ſtatim convocatis tribunis et centurionibus, ſingulas ſingulis naves conſignant, commeatum diſtribuunt, et milites in terram exponunt: tempus idoneum rati, flante nimirum Africo, perluſtrandi exercitum, inſtruendi tirones, reficiendi omnes; exercitus in acies dividitur, ſuis unaquaeque ſe continebat ſtationibus, ubi caſtra metati eſſent; tirones milites, qui tum primum merere ſtipendia coeperant, docentur cum hoſte congredi, receptui canere, per turmas hinc inde crebro concurrere, decurrere, de integro inire bellum, locum tenere, imperium facere, juſſa exſequi, ſeque in orbem colligere, cuneum facere et phalangem, ſequi ſigna, ne ſine imperio in hoſtes tenderent, ne pulſi loco cederent, et ut in acie quiſque agnoſceret ordines ſuos.

Militibus ita aliquot dies exercitatis, vento ſemper adverſo ſpirante, Conſules

les, militibus claſſico convocatis, procla- 21 *Mart*.
mari et edici jubent, ne quis, capitis poena, peregrinum militem vel ignominia, vel injuria afficeret; neve miles quiſpiam exauctoraretur, aut a ſignis abeſſet, niſi ipſi miſſionem illi darent, neve tranſitionem ad alia ſigna faceret: equites undequaque diſponuntur, qui emanſores et deſertores prehenderent.

Dum Conſules Plimothae adverſis ventis coacti plus quam integrum menſem haererent, commeatus abſumitur, plurimi milites diſcedunt, alii aegrotant; hoſtibus copiam cogendi, exercitus conſcribendi, et praeſidia locis maritimis conferendi magna datur opportunitas.

Interim conventus habetur Procerum 31 *Marti*
Devoniae et Cornubiae de re frumentaria ſubminiſtranda. Qua in re *Aſhlejus*, Re- 1 *April*
gii conſilii Secretarius, ſuo adventu egregie operam navavit: totumque id negoti- 4 *April*.
um, ubi de pretio et caeteris convenerat, *Darellio* datum eſt.

His rebus ita tranſactis quandoque *Boreas*, quandoque *Circius* ſpirare coepit, et *Fennerus* prothalaſſiarcha ſe cum viginti navibus adjunxit.

Non multo poſt Eſſexiae Comes, *Martis* proles, heroicis et bellicoſis ortus parentibus, juvenis magni et praeclari animi, populo, nobilibus, Reginae acceptiſſimus, omnia potius ferre decreverat, et pericula ſubire, quam ut tam illuſtri

ex-

expeditioni non intereſſet; maluit omnino privatus ſine imperio actor adeſſe, quam domi, in ſumma apud omnes gratia, aulicorum grege ſtipatus manere. Citatiſſimis, quantum poterat, equis ad exercitum ſeſe ab aula, nemine conſcio, proripuit; et, ne forte Regia interveniente authoritate detineretur, Falmothae juxta Plimotham *Rogeri*, *Gulihelmii* et *Gualteri* fratris, navem conſcendit, anchoriſque ſublatis, ſe continuo inde proripit, incertis ventis, aſſiduiſque procellis varie agitatus.

6 April. Poſt aliquot dies ventus felicior ſpirare coepit, Conſules ſumma feſtinatione poena capitis claſſico omnibus edixerunt naves conſcendere, eaſque e portu educere, veliſque paſſis, flante Africo, in altum provehuntur.

18 April. Claſſis autem conſtabat ſex navibus onerariis Regiis, viginti bellicis, et centum et quadraginta bene inſtructis; Conſuleſque ipſi thalaſſiarchae *Thomas* et *Gulihelmius Fenneri*, hic prothalaſſiarcha, ille metathalaſſiarcha; tribuni navalium cohortium ipſi Conſules, *Thomas Fennerus*, *Rogerus Gulihelmius* et *Edovardus Norreyſius* fuerunt; vigiliarum praefectus *Boyerus* fuit, et *Darellius* rem agebat frumentariam.

Rebus omnibus ita conſtitutis, vix erat credibile, quanta alacritate ab omnibus, *Hiſpania*, *Hiſpania*, acclamatum ſit.

20 April. Poſt alterum diem ſub noctem ex alto Axantam conſpicimus. In-

Inde poſtridie, flante Coro, relicta Axan- 21 April.
ta, Hiſpaniam verſus recta perreximus.

Sequente die, flante Vulturno eodem- 22 April.
que procelloſo, impediente vento verſus Orientem tendere, *Coronam* verſus impellimur.

Nono Cal. Maji, poſt tertiam pome- 23 April.
ridianam, ex alto promontorium Ortingallae in Gallicia conſpeximus, et non ultra duodecim millia paſſuum a terra abfuimus: ſtatim concilio habito, ibi totam noctem laxis velis haerere decrevimus.

Prima luce *Coronam* perreximus, vento admodum remiſſo, et poſt meridiem 24 April.
in portus parte orientali in anchoris ſtetimus, ubi Hiſpani plurimos irritos ictus ab oppido et arce *Coronae* ſuis tormentis bellicis ejaculati ſunt. Ad octo millia militum in terram, nullo reſiſtente, exponimus, quibus ſingulis ſuae ſtationes deſignantur.

Continuo oppidi praeſidiarii, lecta militum manu, nos levibus praeliis excipiunt. Naves aliquot hoſtium in portu juxta propugnaculum ſteterant; inter reliquas navis ingens, quam galeonam vocant, fuitque navis propraetoria, eique praefuit *Martinus de Ricaldo*, protoclaſſiarcha Regius in expeditione Anglica; duae etiam naves bellicae, et alterae duae onerariae magnae, apparatu bellico et commeatu onuſtae, cum duabus triremibus, quae

hinc inde propter malaciam remigantes, negotium nobis faceſſere nitebantur, et acceſſum ad oppidum prohibere.

25 *April.* Poſtridie mane tormenta duo, in declivi montis ex oppoſito urbi, multo negotio, ex oppido, arce, propugnaculo, galeona, et triremibus in nos tormentis effulminantibus, ante meridiem collocamus. Triremes illico, unicum ictum non ferentes, abiguntur; galeona a nobis saepius perforatur, nec tamen in nos irruere deſtitit; hoſtis nonnunquam levibus proeliis, excurſione ex oppido facta, nos adoritur, et illico receptui canit.

Norreyſius autem, rei militaris gnarus, feſtinandum ratus, ad oppidum occupandum animum adjecit.

Corona in duo oppida diviſa, ſuis quodque diſtinctum moenibus: alterum in declivi montis, quod ſuperius vocabatur, undique moenibus cinctum; alterum in plano ſitum, quod mare utrinque veluti peninſulam alluebat, ex unica parte ſuperiori continens, unis moenibus munitum, inferius eſt dictum. Oppidum autem inferius tribus ex partibus oppugnare decrevit, primo mari, tum ad duo moenium propugnacula, quorum alterum orientalem, alterum occideutalem coeli partem ſpectabat. *Fennero* et *Huntlejo* ea data eſt provincia, ut cum mille quingentis ſelectis militibus, lintribus et naviculis impoſitis, navali pugnae praeeſſent; *Brettus* autem et

Um-

Umptonus cum trecentis orientalem, *Richardus*, *Wingfeldius* et *Sampſonus* cum quingentis occidentalem partem ſcalis adorirentur.

Quibus rebus ita ordinatis, commeatu et pulvere datis, noctu milites ſcaphas mira ſedulitate conſcendunt. Prima luce milite cohortato, ſignoque dato, omnes ſumma contentione quis prior oppidum occuparet, arreptis armis ad moenia advolant. 16 *April.*

Praeſidiarii, ex propugnaculo et navibus claſſico dato, *Wingfeldium* et *Sampſonum* venientes alacriter excipiunt, loco pellunt, iterumque moenia ſcalis conſcendentes dejiciunt.

Dum iſti hoſtium impetum ſuſtinent, *Fernerus* et *Huntlejus* lintribus junctis a mari impigre urbem occupant. *Brettus* et *Umptonus* orientalem muri partem tranſcendunt: adeo ut poſt ſeſquihoram, praeſidiariis et civibus ad oppidum ſuperius fugatis, inferius in noſtram poteſtatem venerit. In pugna ex noſtris vix viginti milites deſiderati, *Cooperus* centurio laeditur. Ante horam quintam oppidum militi praeda datum.

Hoſtes galeonam nobis invidentes, tormentis, pulvere et globulis repletam incendunt, reliquae naves noſtrae fiunt.

Ante decimam totus exercitus in oppidum introducitur, hoſpitia ſingulis per metatorem deſignantur. Ingens frumen-

tivis, carniſque ſalitae copia, tormentorum aeneorum omnis generis centum quinquaginta, reſtium, funiumque nauticarum, pulveris, aliorumque belli apparatuum, incredibile dictu, quam ingens quantitas ſit inventa.

Hoſtis ipſe ex ſuperiori oppido aedificia aliquot capaciſſima, ſuis moenibus contigua, rebus, uſibus belli ſervientibus, repleta, ſuperinjecto igne incendit.

Interim hoſtium mille quingenti ex declivi montis, non longe ab oppido, ſe praecipites dejiciunt, oppidumque verſus pervolant, nihil minus putantes, id a noſtris occupatum fuiſſe.

Norreyſius cum ſex cohortibus venientes excipit, in fugam vertit, fugienteſque ad duo millia paſſuum perſequitur, eodemque die *Jacobus Hayſſus* Quaeſtor, a ſclopetario ab oppido ſuperiori laeditur.

27 *April.* Poſtridie ejus diei incuria quorundam militum una domus accenſa centum ſibi contiguas eodem incendio involvit, antequam reſtingui ignis poterat.

Conſules interim officio non defuerunt, loca opportuna ponendis tormentis luſtraverunt, aggeres, munimentaque pro eiſdem defendendis fieri curaverunt.

Hoſtis ex oppido Conſules per tympanum rogat, an *Joannes de Luna*, nobilis Hiſpanus, in ipſorum veniſſet poteſtatem? Reſponſum eſt: ipſum captivum eſſe.

De-

Deinde de dedendo oppido eſt cum eo
actum, quod plane et confidenter eſt negatum.

Proinde oppidum oppugnaturi Conſules
legiones ſingulas ſuis ſtationibus diſponunt:
Norreyſii vicarius *Devereux*, *Sydnejus*,
Brettus, cum ſuis legionibus inter monaſterium
ſancti Dominici et mare; *Draki* vicarius *Rogerus*, *Gulibelmius*, *Huntlejus*,
Wingfeldius, cum ſuis copiis juxta
eccleſiam parvam; *Edovardus Norreyſius*,
Lanus et *Medkerkus* ad ripam maris conſidebant,
aggeribus, munimentiſque actis
tormenta locantur, ſimulque cuniculos
agere incipiunt. *Huntlejus*, uti juſſus e- 29 *Aprilis*
rat, frumentatum et exploratum excur- 30 *Aprilis*
rens, hoſti obviam fit, qui ſtatim in fugam
vertitur, aliquot trucidatis et captis, ducentorumque
jumentorum abacta praeda.

Rebus jam omnibus ad obſidionem diſ- 1 *Maji*
poſitis, cum quatuor tormentis, ab aquilonari
oppidi parte locatis, poſt meridiem
moenia verberare coeperunt, quo- 2 *Maji*
rum concuſſione aggeres ſtatim corruunt,
tormentarii nudi et immuniti hoſti exponuntur.

Ibi *Spencerus*, vicarius *Edovardi Norreyſii*,
qui tormentis bellicis praefuit, ad
ipſius pedes interfectus collabitur; *Goodwinus*
centurio per fauces globulo eſt trajectus,
dum moenia conſcendere tentaret.

Illud tamen meminiſſe oportet, *Nor-*

 rey-

reyſium prius cum hoſte per tubicinem de deditione egiſſe, in eumque hoſtium aliquem contra jus belli globulum miſiſſe, quem militem ſtatim poſt intermiſſam obſidionem *Joannes de Pacheco*, Marchio *de Cerralbo*, *Galliciae* praefectus, qui tum in oppido erat, pro moenibus ſuſpendit.

Norreyſius Marchionem rogat, an captivum Anglum per ludibrium et contemptum ſuſpenſum exponeret? Ad quem *Marchio* perbenigne reſpondet, ſupplicium ſumtum de milite fuiſſe, qui contra tubicinem eſſet ejaculatus: quod ita eſſe, facile apparuit ex inſcriptione collo appenſa. Cum de permutatione octoginta captivorum Hiſpanorum cum totidem Anglis in triremibus eſſet cum eo actum, reſpondet: ea de re ſe nihil a Rege in mandatis habere.

5 *Maji.* Poſtridie mane *Sampſonus* cum quingentis ſelectis militibus excurſiones in hoſtium agros facit; levi proelio cum mille peditum, et aliquot equitibus congreſſus, eos in fugam vertit, centum quinquaginta jumentorum abacta praeda. Eodemque die tormentariorum opera irrita facta eſt, aggeribus accenſis; quibus impigre refectis de integro eſt renovata, ita tamen, ut perexigua fieret moenium ruina; ignis etiam, cuniculo ſubditus, cis murum erupit nullo hoſtibus incommodo.

Rebus ita ſuccedentibus, concilio habito, ſtatuerunt Conſules, obſidione re-

licta,

liҫta, tormenta, commeatum, totumque belli apparatum ad naves reducere.

Interim quidam milites, a Conſulibus conducti, ruinas ſpeculatum emiſſi, referunt, de potiundo oppido non eſſe deſperandum. Quamobrem multa nocte de integro cuniculos agere, et prima luce tormentis moenia reverberare coeperunt. Sub quintam pomeridianam ruina ſatis ampla; et ignis, cuniculo ſubditus, integram turrem labefecit et evertit. *Antonio Wingſeldio* et *Sampſono* ad cuniculum, *Richardo Wingſeldio* et *Philpoto* ad moenium ruinam ire juſſis, teſſera data, magno clamore, ſumma alacritate ad oppidum pervolant. *Dolphinus* centurio impigre primus in ruina ſteterat, ecce ſubito magna, et ampla moenium pars ex inopinato corruit, ad viginti milites obruit et ſauciat; inter caeteros *Sydenhamus* centurio occubuit. 4 *Maii.*

Hinc re infecta quiſque ſe ad ſuas ſtationes recipit. Huic tam inexſpectato caſui oppidum procul dubio ſuam ſalutem, et conſervationem penitus referre debet. Ex noſtris ad ſexaginta ſunt deſiderati, et totidem laeſi.

Norreyſio his modis diſtento *Drakus* non conquievit, omni ope et opera in eo incumbens, ut commeatum, quem *Corona* inferior ſatis copioſe et opportune ſuppeditabat, ad naves deferret.

Conſules autem, quod ante conſtitue- 5 *Maii.*

 rant,

reyſium prius cum hoſte per tubicinem de deditione egiſſe, in eumque hoſtium aliquem contra jus belli globulum miſiſſe, quem militem ſtatim poſt intermiſſam obſidionem *Joannes de Pacheco*, Marchio *de Cerralbo*, *Galliciae* praefectus, qui tum in oppido erat, pro moenibus ſuſpendit.

Norreyſius Marchionem rogat, an captivum Anglum per ludibrium et contemptum ſuſpenſum exponeret? Ad quem *Marchio* perbenigne reſpondet, ſupplicium ſumtum de milite fuiſſe, qui contra tubicinem eſſet ejaculatus: quod ita eſſe, facile apparuit ex inſcriptione collo appenſa. Cum de permutatione octoginta captivorum Hiſpanorum cum totidem Anglis in triremibus eſſet cum eo actum, reſpondet: ea de re ſe nihil a Rege in mandatis habere.

3 Maji. Poſtridie mane *Sampſonus* cum quingentis ſelectis militibus excurſiones in hoſtium agros facit; levi proelio cum mille peditum, et aliquot equitibus congreſſus, eos in fugam vertit, centum quinquaginta jumentorum abacta praeda. Eodemque die tormentariorum opera irrita facta eſt, aggeribus accenſis; quibus impigre refectis de integro eſt renovata, ita tamen, ut perexigua fieret moenium ruina; ignis etiam, cuniculo ſubditus, cis murum erupit nullo hoſtibus incommodo.

Rebus ita ſuccedentibus, concilio habito, ſtatuerunt Conſules, obſidione relicta,

ſicta, tormenta, commeatum, totumque belli apparatum ad naves reducere.

Interim quidam milites, a Conſulibus conducti, ruinas ſpeculatum emiſſi, referunt, de potiundo oppido non eſſe deſperandum. Quamobrem multa nocte de integro cuniculos agere, et prima luce tormentis moenia reverberare coeperunt. Sub quintam pomeridianam ruina ſatis ampla; et ignis, cuniculo ſubditus, integram turrem labefecit et evertit. *Antonio Wingfeldio* et *Sampſono* ad cuniculum, *Richardo Wingfeldio* et *Philpoto* ad moenium ruinam ire juſſis, teſſera data, magno clamore, ſumma alacritate ad oppidum pervolant. *Dolphinus* centurio impigre primus in ruina ſteterat, ecce ſubito magna, et ampla moenium pars ex inopinato corruit, ad viginti milites obruit et ſauciat; inter caeteros *Sydenhamus* centurio occubuit. 4 *Maii.*

Hinc re infecta quiſque ſe ad ſuas ſtationes recipit. Huic tam inexſpectato caſui oppidum procul dubio ſuam ſalutem, et conſervationem penitus referre debet. Ex noſtris ad ſexaginta ſunt deſiderati, et totidem laeſi.

Norreyſio his modis diſtento *Drakus* non conquievit, omni ope et opera in eo incumbens, ut commeatum, quem *Corona* inferior ſatis copioſe et opportune ſuppeditabat, ad naves deferret.

Conſules autem, quod ante conſtitue- 5 *Maii.*

 rant,

rant, optimum fore rati; naves repetere, non oppidum ſed regnum animo deſtinantes: quidam milites, frumentatum excurrentes, militem Hiſpanum ſecum ducunt, qui refert, *Comites Dandrada*, et *de Altamira* non procul abeſſe cum exercitu, prope pagum qui *Borghos* vocabatur, eoſque exſpectare quaedam tormenta bellica, quibus nos in oppido obſiderent, aut ſaltem conſcenſum in naves impedirent.

Norreyſius cum tam vicino hoſte congredi non refugit, vincere aut vinci alterutrum quandoque glorioſum, fugam fugaeve ſpeciem turpem, ſuaque virtute indignam ratus, inſtructo agmine illico in hoſtem fertur. Primam aciem *Edovardus*, ipſius frater, cum tribus legionibus, ſua, *Rogeri Gulihelmii*, et *Sydneji*; mediam ipſe ducebat cum totidem legionibus, ſua nimirum, *Lani* et *Medkerki*; tertiam alter ejus frater *Henricus*, cum ſua, *Huntleji* et *Bretti* legionibus: reliquas quinque legiones, ut praeſidio oppido et claſſi eſſent, *Drakus* retinuit.

6 *Maji.* Copiis ita inſtructis eas illico in hoſtem ducit, ſub meridiem non procul a ponte *Borghenſi*: nonnulli hoſtium ex inſidiis prodeunt, qui a ſclopetariis primae aciei, quibus *Antonius Wingfeldius* praeerat, profligati, ad caſtra refugiunt. Erat inter utrumque exercitum flumen amplum ſatis et profundum, ſuper illud pons lapideus, longitudine circiter octoginta paſſu-

ſuum, latitudine trium. In hoſtium exercitu erant ultra decem hominum millia; in noſtro vix quinque millia et quingenti numerabantur. Hoſtes intra munimenta ſua ſe continebant, pontis partem citeriorem foſſis, vallis, aggeribus muniebant, quibus tranſitum noſtrum praepedirent.

Norreyſius, cui et animus et manus geſtiebant cum hoſte congredi, *Edovardo* fratri, qui primae aciei praefuit, pontem tranſgredi imperat. Ipſe animo intrepidus, quod in mandatis acceperat, ſponte et alacriter exſequitur, et cum eo *Fulfordus* et *Hinderus*, duo praeſtantiſſimi centuriones, inſtar manipularium, plures enim uno ordine propter pontis anguſtias progredi non poterant; reliqui ternatim manipulares ſubſequuntur.

Ubi ad medium pontis eſt ventum, ultra tria millia ſclopetariorum eos in ponte venientes excipiunt; coelum ipſum fragore intonuit, et globuli inſtar grandinis undique decidunt: illi nihilominus vitam tanquam victimam patriae oblaturi, et Anglici nominis gloriam apud omnes gentes hoc inſigni ſtratagemate divulgaturi, nulla cunctatione, ſumma alacritate procedunt.

Cum ad manus eſt ventum, illico ab hoſte eſt trepidatum, et qui longiſſime a noſtris aberant, priores aufugiunt, qui proxime ſteterant, pugnare inviti coguntur, ne ipſos a tergo fugientes haſtis no-

ſtri perfoderent. Ipſorum autem fugam, quos exſtruxerant aggeres, et munimenta retardant: unica enim patebat exeundi via, multi praecipites exſiliunt, eoque acrius cum iis, qui in prima acie ſteterant, eſt pugnatum.

Ibi *Edovardus Norreyſius*, dum Hiſpanum avide perſequitur, labente pede in terram cadit, galeamque amittit. Hoſtis impigre in ipſum irruit, in capite vulnerat, penituſque interfeciſſet, ni opportune Dux *Norreyſius*, ejus frater, qui proximus ſteterat, ipſi ſubveniſſet. *Fulfordus*, *Hinderus*, et *Bartonus*, cominus egregie cum hoſte pugnantes, graviter laeduntur. Operae pretium fuiſſet videre, quanta trepidatione hoſtes terga darent, et quam avide noſtri fugientes perſequerentur, campos armis ſtratos, montes fugientium catervatim turmis tectos, alios fluminibus innatantes, aut ſubmerſos, alios paludibus collo tenus prominentes, alios in luto limoque haerentes, alios per triticum ſepeſque obrepentes.

Quid multa? Eorum amplius ſeptingenti caeſi, ex noſtris duo tantnm milites *Cooperus* centurio, et Hibernus quidam nobilis. Quinetiam *Medkerkus*, tribunus Hollandus, dum ad caſtra revertitur, ducentos milites, qui in monaſterio delituerant, interficit. Hoſtis regium vexillum, caſtra, omniaque impedimenta, argentea vaſa et ſupellectilem, veſtitum,

ar-

arma, et commeatum amiſit; quae omnia praeda militibus data ſunt, qui, obviis quibuſque vicis ac aedificiis incenſis, eadem nocte ad caſtra redeunt.

Illud autem meminiſſe oportet, primam tantummodo aciem cum Hiſpanis manus conſeruiſſe; mediam et tertiam propter pontis anguſtias in pugna adeſſe, hoſtemque perſequi non potuiſſe: ita ut parva Anglorum manus ingentem multitudinem Hiſpanorum, fugam magis quam gloriam meditantium, fuderit, et vicerit.

Poſtridie ejus diei tormenta, omniaque impedimenta, ſaucii praeſertim et aegroti ad naves ſumma cura comportantur, omneſque naves conſcendunt, oppidumque inferius *Coronae* totum et funditus eſt crematum. *7 Maji,*

Dum exercitus anchoris nititur, Conſules, conventu tribunorum habito, quam in partem deinceps tenderent, deliberandum ſtatuunt. Variis ſententiis certatum: alii Luſitaniam, alii Biſcajam petendam, ſuis quiſque allatis rationibus, contendunt. Re autem ad navarchas delata, eorumque ſententia expetita, ipſi expeditionem in Biſcajam, et Guipuſcoam vehementer oppugnant.

Tandem de Luſitania tentanda convenit, ſublatiſque anchoris, vela ventis dantur. *Gulihelmus Knolſus* Eques, et *Darceus* Angliam repetunt. Priuſquam Cyzargam venimus, ſex noſtrarum navi- *9 Maji, 10 Maji, 11 Maji,*

 um,

um, quae ventis abreptae aberant, nobis occurrunt. De Cyzarga Mongiam venimus; inde ad promontorium Celticum, quod hodie *finem terrae* vocant.

12 *Maji.* Poſtridie obvius nobis fit Comes *Eſſexiae* cum *Philippo Butlero* Equite, qui tanquam fidus aliquis *Achates*, et periculorum conſors, nunquam ab eo aberat, ſecumque tres naves, re frumentaria onuſtas, quas ab hoſte ceperat, ducit. Summo omnium applauſu, et laetitia excipitur: eſt enim propter virtutes animi, corporiſque dotes, generis et familiae nobilitatem, morum facilitatem, et in re militari ſcientiam et induſtriam nobilis, omnibuſque longe gratiſſimus.

Ipſe autem ex quo Falmotha ſolviſſet, una cum *Rogero Gulihelmio* et *Butlero*, 14 *Maji.* hoc primum die ſe claſſi noſtrae junxit. In auſtralem enim partem, inter rupem, ut vocant, et promontorium ſancti Vincentii curſum dirigens, Bajonae appulit: ubi militibus in terram expoſitis, excurſiones facit, hoſtes in fugam vertit, mox ſe in naves recipit.

Non multo poſt, quas ſecum perduxit naves, conſpicit, aggreditur, vincit. Sub adventum ipſius ventus alacrior multo ſecundiorque ſpirabat Circius, adeo ut laxis remiſſiſque velis onerarias naves, quae non tam expeditae et celeres eſſent, praeſtolari cogeremur.

15 *Maji.* Ubi non longe a Berlinga abſumus, con-

concilio habito, Conſules decernunt Penicham appellere.

Poſtridie prima luce Berlingam ab alto 16 Majii
conſpeximus; flante Aquilone, ante tertiam pomeridianam in portu prope Penicham in anchoris ſtamus. Ibi arcem juxta pagum munitiſſimam cernimus.

Illico *Sampſonus* cum quingentis militibus, ex oppoſito arcis, juxta praeruptam rupem in parte auſtrali deſcendere jubetur. Conſules ipſi cum lecta militum manu in loco arenoſo, junctis ratibus et lintribus, ad mille paſſus ab arce ſeſe in terram exponere ſtatuunt. Mare autem undoſum et valde turgidum naviculas prope littus accedere prohibet: hoſtis in ripa conſtitit, deſcenſum prohibiturus.

Eſſexiae Comes, vir magno et excelſo animo, ubi hoſtes vibrare haſtas, enſes concutere, nobis minitari videret, arreptis armis, impatiens morae, primus ſe in mare projicit, pectore tenus immerſus, non ſine ſummo vitae diſcrimine, nam ſimul et de navibus deſiliendum, et in fluctibus conſiſtendum, et cum hoſtibus erat pugnandum. Multi nobiles et centuriones, inter quos *Butlerus* et *Baskervillius* Equites, *Jacſonus* et *Pujus* Comitem ſequuntur, cum hoſte cominus congrediuntur. Acriter primo eſt pugnatum; hoſtis illico pedem retulit.

Comes cum paucis, reliquum exercitum non exſpectans, eos longe perſe-

quitur. *Pujus* centurio interficitur. *Sampſonus*, dum *Eſſexius* pugnam ſuſtinet, de-
17 Maji. ſcenſu minime prohibetur. Arx ipſa munitiſſima, et inexpugnabilis, re frumentaria, apparatu bellico, tormentis et praeſidio inſtructa Regi *Antonio* deditionem facit.

Conſules, claſſico dato, militibus poena capitis edicunt, ne quis Luſitanum quempiam verbis offendat, contumelia afficiat, injuria laceſſat, bonis ſpoliet, aedificia incendat, agros populetur, aut quicquam in eos hoſtiliter agat: maxime, ne templa, monaſteria, aut loca cultui divino dicata quovis modo profanet. Accurrunt aliquot monachi, et multitudo quaedam inermis Regi *Antonio*; ex nobilitate nullus, traditis enim armis, obſidibuſque datis, et in Hiſpaniam miſſis de *Antonii* partibus ſeſe profiteri non ſunt auſi.

Conſules, convocatis comite *Eſſexio* et tribunis, conſilium ineunt, quid deinceps faciendum commodiſſime videretur.

Tandem omnium ſententiis et ſuffragiis in eo convenit, ut *Norreyſius* cum exercitu Olyſipponem pergat, quae ad quadraginta octo millia paſſuum a Penicha abeſt; *Drakus* cum claſſe, apparatu bellico, re frumentaria et impedimentis, eo verſus veniat, et apud Caſcalim conſideat, ut exploraret an ibi ulli eſſent, qui a Regis *Antonii* partibus ſtarent, ut ad

ad omnem eventum exercitui ſubſidio eſſet, ut commeatum omniaque auxilia ab Olyſippone praecluderet. Datis dexteris *Norreyſius* exercitum, *Drakus* claſſem inſtruit; cenſuque militum habito, non ultra ſex millia caſtris idonei conſcribuntur, idoneo claſſi relicto praeſidio.

Nihilo ſecius *Norreyſius*, uti conſtituerat, cohortibus ſex praeſidio claſſi relictis, et *Bartono* in arce Penichae, caſtra movet, triplici acie inſtructa: Primam ipſe ducit, quae conſtabat legionibus quinque, ſua, *Rogeri Gulihelmii*, *Henrici Norreyſii*, *Lani* et *Medkerki*. Media quatuor habebat legiones, *Draki*, *Devereuxi*, *Edovardi Norreyſii*, et *Sydneji*. Tertia quinque, *Hayliſi*, *Wingfeldii*, *Umptoni*, *Bretti* et *Huntleji*. *Darellius* ſingulis militibus commeatum in triduum dare juſſus, tantumque cuique pulveris, quantum quiſque ſecum commode ferre poterat. Nam neque equos, neque carros, aut rhedas, quibus ſecum ſarcinas aut impedimenta ferrent, habuerunt. 18 *Maji.*

Rebus ſic conſtitutis, *Norreyſius* caſtra movet cum Rege *Antonio*, *Emanuele* Principe et Comite *Eſſexiae*, qui quotidie in prima acie ſtetit; et in vico, *Lorygna* nomine, caſtra poſuit. Inde ſingulis diebus mutatis agminibus ad pagum, qui *Torres Vedras* vocatur, perrexit: ubi arx erat in praerupto collis munitiſſima; equites aliquot hoſtium conſpiciuntur, ſed repente, 19 *Maji.*

tan-

tanquam conſpectu noſtro conterriti, pedem referunt.

20 *Maji.* Mane *Norreyſius* ab exploratoribus cognoſcit, equites quinquaginta hoſtium non longe a caſtris abeſſe, ut, ſi quos frumentatum palantes inveniant, ab exercitu praecluſos capiant. Hos *Yorkus*, cum equitatu et aliquot peditibus miſſus, mox in fugam conjicit, eoque die Luſitani villici commeatum ſatis liberaliter, fugatis Hiſpanis, nobis adferunt, et in duobus vicis ejuſdem nominis, Anchara dictis et fano Sebaſtiani, caſtra metamus. Hic ad nos nova adferuntur, claſſem noſtram prope Caſcalim appuliſſe.

21 *Maji.* Poſtridie ad vicum, qui Lores vocatur, contendimus, ubi hoſtem cum trecentis equitibus in planitie non ultra mille paſſus a noſtris copiis abeſſe videmus. Contra quos *Henricus Norreyſius*, uti juſſus erat, cum ſua legione, et *Yorkus* cum equitatu proceſſit. Illi autem praecipites in fugam verſi, adventum ejus minime ſuſtinent: quamvis viarum anguſtiae, locique opportunitas eos facile ad pugnam alliceret.

Eodem etiam die ad *Norreyſium* a *Drake* literae perferuntur, quibus ſignificat, ſe cum claſſe veniſſe, et mille quingentos milites in terram expoſuiſſe: cui ille viciſſim reſcribit, monetque, diligenter excubias agat, militem in armis habeat, hoſtem enim cum exercitu in ſuburbiis

O-

Olyſippōnis conſidere. Ea nocte hoſtis in *Draki* et *Umptoni* legiones impetum facit; eorum tamen plurimi interfecti, noſtrorum vix octo deſiderati.

Sequenti die de Lores ad Alveladam iter inſtituimus. *Norreyſius Rogerum Gulihelmium* cum lecta militum manu praemittit, ut hoſtem ex inſidiis opprimat; ſaepe hoſtium equitatum ex collibus vicinis cernimus, nunquam tamen proelium committere audebat. 22 *Maji.*

Rogerus Gulihelmius, poſtero die ex inſidiis reverſus, hoſtem nullum videt; omnes enim intra moenia Olyſipponis ſe continebant. Tamen ab exploratoribus et captivis cognovimus, Cardinalem Auſtriacum, Portugalliae pro-Regem, ſaepius oppido exiiſſe, proviſum locum idoneum caſtris ponendis, metatumque ſtationum ambitum. Hac arte et conſilio, nempe civibus ut perſuaderet, praeſertim ſuboppidanis, quorum bona, fortunaeque omnes in multo verſabantur diſcrimine (expoſita enim patebant noſtrorum militum ſpoliis, muris et portis deſtituta), ſe nobiſcum proelium commiſſurum, noſque ab urbe propulſurum. 23 *Maji.*

Nos autem, nullo reſiſtente, nedum in conſpectum venire audente, educto mane caſtris milite, Olyſipponem contendimus. Primum agmen Alcantram ingreditur, reliqua duo totam noctem agunt in armis. Hoſtis ex oppido nullas erupti-

ones

ones facit, nihil hoſtile agit; quatuor ſolum tormentis *Gabrielis* de Ninnos, arcis Olyſipponis praefectus, adventum noſtrum conſalutavit.

24 *Maji.* Poſtridie ejus dici totus exercitus in oppidi ſuburbiis, quae *Bonaviſta* vocantur, per ſtationes eſt diviſus. Hiſpanus enim ſe in urbem et arcem reconditerat. Juxta meridiem equites aliquot ſelecti oppidio exſiliunt, vociferantes, VIVAT REX ANTONIUS; in ſtationem *Bretti* tribuni irruunt, aliquot vigilum interficiuntur. Noſtri, repente claſſico dato, et arreptis armis, eos alacriter excipiunt, plurimos interficiunt, aliquos capiunt. *Eſſexiae* Comes eos ad Olyſipponis portas uſque perſequitur, vixque retrahitur, ne in eas irruat; irruiſſetque procul dubio, niſi ipſum *Rogerus Gulihelmius* invitum retinuiſſet. *Brettus*, cum hoſte ferociter cominus haſta pugnans, ictus a ſclopetario, et *Carrus* centurio occubuit; ex gregariis non ultra ſex.

In *Bonaviſta* opima ſpolia victoribus, ſi fortuna ſua fuiſſent uſi, ſunt expoſita: piperis, cinnamomi, nucum muſcatarum, caryophyllorum, macis, omniſque generis aromatum tanta copia, quantam vix integrae aedes capere poſſent; pretii ad minus 300000 coronatorum: ſupellex copioſa, domeſtica utenſilia ſummi pretii, rei frumentariae, panis biſcocti, vini, omniſque generis commeatus,

atus, qui alendo exercitui ad duos integros menſes liberaliter ſufficeret.

Hoſtis, ubi nos adventare conſpicit, horrea regia et publica, frumento, oryza, pane biſcocto, commeatu, et apparatu bellico, et claſſico turgentia incendit, ne in noſtram poteſtatem venirent: ſuburbia tam regaliter inſtructa, ampla et ſpacioſa erant, ut facile in illis exercitus noſter conderetur. Propterea *Norreyſius* quingentos milites ultra conſuetas vigilias dies noctesque in armis eſſe juſſit, hoſtium excurſiones ex oppido ut exciperent.

Erant in urbe ad quinque millia Hiſpanorum, quatuorque civium legiones bene inſtructae, ultra oppidanorum et ſuboppidanorum numerum infinitum, qui, acceptis armis, obſidibusque datis, ſe in fidem, poteſtatemque Hiſpani Regis juramento dederant. Erant praeterea triremes duodecim, et unica galeona, naves bellicae ſex, quae ſe ſemper in auſtrali Olyſipponis parte tenebant; nihil interim hoſtile memoratu dignum facientes, aut tentantes.

Norreyſius, ubi comperit, noſtris tormenta et pulverem deeſſe, quibus Olyſipponem oppugnet, hoſtium copias de die in diem cogi et augeri, noſtras aegritudine et aeſtu minui, Luſitanos perpaucos eoſdemque inermes venire, quum nulla ſubſidia ſperaret, cum exercitu poſt meridiem ad Caſcalim tendere ſtatuit. 25 *Maji.*

Rex

Rex *Antonius* falſa ſpe eluſus, ſemper aliquid novi ſperans (facile enim, quod volumus, credimus), poſtulat, eam noctem maneat. *Norreyſius*, habito de ea re cum Comite *Eſſexio* et tribunis concilio, ex omnium conſenſu Regis poſtulatis concedit.

26 *Maji*. Nox illa nihil novi peperit; exercitum mane ex *Bonaviſta* eduxit, caſtraque movet; quinque hoſtium triremes juxta pontem in nos ſuis tormentis ejaculantur; unus miles laeditur, et *Wilſoni* mulus, cui inſidebat, interficitur. Hiſpani, ſcientiae militaris immemores, in poſtremum agmen nullam impreſſionem, nullum impetum faciunt. Ubi ad tria millia paſſuum ab oppido abfuimus, trecentos equites in declivi montis conſpicimus; nihilo ſecius incoeptum iter peragimus: oſtentatum ſuo more, non pugnatum venerant; nihil enim hoſtile agunt, eademque nocte ſine certamine ad Caſcalim caſtra ponimus.

27 *Maji*. Poſtridie, convocatis Rege, Conſulibus, Comite *Eſſexiae* et tribunis, habitoque concilio, multum diuque agitatur, quid proxime agendum. Variis ſententiis certatum: alii modo commeatus ex *Anglia* afferatur, et *Drakus* cum claſſe arcem Juliani praeteriret ad exercitum Olyſipponem reducendum; alii inſulas petendas, aliudve aliquod facinus tentandum ſuadent. Sed re infecta dimiſſa eſt concio.

Pro-

Proximo die ſub meridiem ab explora- 28 *Maji*
toribus refertur, Comitem de Fontibus *Petrum Henriquez de Guzmano*, militum Luſitaniae ductorem, non ultra duo millia paſſuum a caſtris noſtris cum exercitu conſidere; habere ad ſex millia peditum, et quingentos equites; Comitem verbis, literis, impreſſiſque libellulis ſparſiſſe in vulgus, exercitum Anglorum Olyſippone profligatum, et in fugam verſum.

Norreyſius indignabundus prima luce 29 *Maji*
poſt mediam noctem literas manu ſua ſubſcriptas, ſigilloque conſignatas ad Comitem per tubicinem mittit; docet, ſe cum exercitu ante meridiem venturum, ut armis nón verbis hujuſmodi mendacia redarguat, ipſe modo adventum ejus praeſtoletur; unum ſe petere et deprecari, velit periculum facere, Anglus an Hiſpanus ſe prior in pedes conjiciat. Eodemque tempore per eundem *Eſſexiae* Comes Comitem ad duellum provocat, aut quemvis Hiſpanum ſuae ſortis et conditionis, ut ſecum ſive ſingulari certamine, ſive ut decem Angli cum totidem Hiſpanis, plures pauciorefve congrederentur; et ne forte vim aliquam tubicini inferrent, literarum ſuperſcriptioni hoc addunt, ſi quod ipſi probrum aut damnum facerent, idem *Joanni de Luna* Hiſpano, captivo, ſe facturos.

Exercitus noſter repente colluſtratur, 30 *Maji*
cenſuſque militum habetur. Ex ſanis non

erant peditum ultra quatuor millia, et quadraginta equites. Cum his *Norreyſius* mane procedit. Incredibile dictu, quanta alacritate milites cum Hiſpano congredi geſtiunt. Hoſtis interea abiit media nocte, conterritus, nos in armis eſſe, et acies copiaſque inſtruere audiens, trepide ſolutis ordinibus ſe in fugam conjicit; Comes evadit, ſe ſanum ſalvumque inter moenia Olyſipponis continet; ſoli aliquot equites, conſpectum noſtrum non ferentes, viſi ac illico fugati. Tubicine Olyſipponem ad Comitem miſſo, ſine reſponſo reverſo, ſub horam quartam *Norreyſius* ſe in caſtra recipit.

Prope Caſcalim arx erat, ampla ſatis et munita; de iſtius expugnatione et deditione agitur: quae ſtatim, aggeribus actis, tormentiſque locatis, ſe in noſtram fidem poteſtatemque dedidit, ea conditione, ut praeſidiarii cum armis et ſarcinis, nulla injuria aut maleficio laceſſiti, diſcederent. Fide publica, conductuque dato incolumes ad ſuos redeunt. In arce ſex magna tormenta aenea, quadraginta dolia pulveris tormentarii inveniuntur; praeſidiariis neque res cibaria, nec apparatus bellicus defuit. Hic aliquot dies commorati, commeatum ſubſidiumque ex Anglia exſpectantes, ſexaginta naves urbium Hanſaticarum, annona et mercatura onuſtas in Hiſpanorum uſum, et viginti Britannicas in Olyſipponem ituras capimus; mi-

militem noſtrum in eas imponimus, Hollandicas dimittimus, frumento pro ſtipendio dato *Gualterus Devoreux* et *Sydnejus* in Angliam revertuntur.

Poſtridie ejus diei concilio habito omnium conſenſu eſt ad naves acclamatum, ſingulis ſingulae deſignatae; annona diſtribuitur. 2. Junii

Sampſonus cum ſeptem navibus miſſus, ut *Bartonum*, quem praeſidio arci Penichae reliquerant, et tormenta bellica ſecum ferrent. 3. Junii.

Eſſexiae Comes, graſſante inter milites epidemia, vino, auranciis, limonibus, fructibuſque delicatis minime aſſuetos, pluribus aegrotantibus, ſummo cum omnium dolore in Angliam revertitur. *Barkerus*, quem a diſceſſu noſtro a Corona amiſimus, advenit. *Croſſus* et *Plattus* cum commeatu ab Anglia miſſi nobis fiunt obviam; navibus frumentariis ad promontorium auſtrale miſſis, *Plattus*, uti in mandatis habuit, ad eas impigre perrexit, ut, quo tenderent, quidve facerent, cognoſceret. 4. Junii.

Sexto Id Junii arce Caſcalis, pulvere bombardico penitus everſa, ſublatis anchoris, paſſis velis, flante Borea, mari nos committimus. 8. Junii.

Poſtridie quindecim naves noſtras frumentarias ab alto conſpeximus, quae eodem die ſe nobis adjungunt. Spirante Libonoto, ſtatuunt Conſules Bajonam, 9. Junii.

ſin ad Boream mutaretur, ad inſulas contendere.

10 Junii. Prima luce. ecce novem triremes, quae primo cum Anglica nave congreſſae, diuque pugnantes eam re infecta relinquunt; duas Hanſaticas adortae, in quarum altera erat *Maxei* vicarius, in altera *Minchonus* centurio. Magna diu utrinque alacritate certatum, pugna atrox et anceps, alter ut vinceret, alter ut evaderet. Media pugna caſu, ut ſaepe fit, ingens flamma e navibus emicuit, totaeque concremantur; quibus, etſi propter malaciam et ſerenitatem coeli nullo modo ſubſidio eſſe licuit, tamen *Drakus*, quantum remotum opera conſequi potuit, appropinquans e navis ſuae prora tormento adacto ſeptem unico ictu triremes abegit, reliquae ſtatim ſequuntur, neque intra teli jactum procedere audebant, mox in portum ſe recipiunt, quaſi re bene geſta

Nos hinc illinc variis ventis agitati, non paucis diebus intercedentibus inſulas Bajonae primum, poſt Vigam conſpeximus. Ibi ſub noctem appulſi in anchoris ſtamus. Triginta tres ex noſtris navibus, quae nos praeverterant, prope inſulas viſae, claſſico militi dato, bonorum omnium ex oppido auferendorum opportunitatem hoſti dederunt Hoſtis tamen tympanorum ſonitu facto, vigiliis diſpoſitis. eiſdemque relevatis, prae ſe fert oppidi defenſionem, deſcenſuſque noſtri in terram prohibitionem.

Pri-

Prima luce prope oppidum mille quingentos milites in terram exponimus, qui repente in duo diviſi agmina ad oppidum tendunt. *Drakus* interea cum *Richardo Wingfeldio* in alteram oppidi partem fertur; *Fennero* navibus ad oppidum ductis, tormentis plateas evertere juſſo.

Hiſpano adventum noſtrum non ſuſtinente, omnibus in fugam verſis, oppidum, nullo reſiſtente, ingredimur; miſſis undique militibus, qui excurſiones facerent, ac vaſtatis agris, vicis, aedificiiſque incenſis, praedas agerent. Ibique totam noctem commorati, concilio habito; proximo die prope inſulas ſolutis anchoris haerere decrevimus: ibique ſtatuere, quid denuo eſſet faciendum. Poſtridie, ſicut convenerat, oppido penitus accenſo, claſſico dato ad naves redimus.

Drakus et ventum et aeſtum uno tempore nactus ſecundum cum majore claſſis parte ad Angliam provehitur: milites nautaeque ita catervatim et ſubito moriuntur, ut non tutum ibi longius commorari putaret, non ignarus eorum, quae claſſiariis ſaepiſſime uſu veniunt, uſus eſt venti opportunitate. 21. Junii.

Norreyſius ibi biduum exſpectare cogitur, partim ut aquandis navibus provideret, partim ut aliquas earum tuto e portu educeret, ne hoſti praedae eſſent.

Tandem multis procellis variiſque ventis agitatus, ad 5. Nonas Julii Plimotham appulit. 3. Julii.

HABES, *amantiſſime* AMERSFORTI, veram et diurnam *relationem eorum omnium, quae a noſtris in Hiſpania et Luſitania ſunt acta. Verbatim perſcripſi, nihil immutandum, nihil delendum putavi, id tibi totum relinquo, qui optimus es ea in re artifex*

Obſecro, ut me tuis rationibus adjuves, quibus hanc, quam illi vocant Hiſpanorum vecordiam, quod ab Anglis ſemper pulſi cederent, quod pontem juxta Coronam deſererent, quod tam trepide fugerent, Regiumque vexillum amitterent; quod cum exercitu noſtro a Penicha ad Olyſipponem ſex dierum via nunquam congrederentur; quod nos triduum ſub Olyſipponis moenibus in Bonaviſta *ſine pugna et certamine morari permitterent; quod decedentes a tergo nulla impreſſione facta inſequerentur, cur Comes de* Fontibus, *cum tam prope cum exercitu conſediſſet, proelium ſubterfugeret, litteris praeſertim* Norreyſii *et Comitis* Eſſexiae *tam ignominioſe invitatus; quod nullam claſſem inſtruxerat, ut nos pugna navali exciperet; quod navibus Hanſaticis, qui tam longum novumque iter citra Scotiam*

tiam

tiam et Hiberniam, per multa maris diſcrimina ſuſcepiſſent, et auxilium, commeatum, claſſicumque apparatum tam amice provexiſſent, nullam opem ferrent, aut prae ſe ferre geſtirent; quod triremes, duabus naviculis incenſis, tanquam re bene geſta, nihil ultra auderent.

Ego autem pro ingenii mei tenuitate reſpondeo, Comitem in mandatis a Rege habuiſſe Olyſipponem defendere, cum exercitu noſtro minime congredi: ſe enim ſcire, exercitum noſtrum, deficiente commeatu, nullo interveniente ab Anglia ſubſidio, peſte graſſante facile ſine ſanguinis effuſione abſumtum iri.

At illi exclamant, ſummum eſſe dedecus Regium amittere vexillum, ſemper terga vertere, inſtar pecorum a canibus abigi, pati Coronam, Vigam, plurimaſque arces vicoſque incendi, commercia mercatorum cum Hiſpano praecludere, mercaturam commeatumque intercipere, tormenta, claſſicum apparatum bellicumque auferre, aut exurere.

Sed quod maxime urgent, ſe hac expeditione Hiſpanorum vecordiam, timiditatem et ignaviam orbi notam feciſſe, et quam ſint domi excordes, exceptis aliquot ve-

veteranis militibus in Belgica plurimis annis exercitatis.

Quibus quid reſpondeam, obſecro, ut me proximis litteris doceas.

Quod in ultima parte litterarum tuarum Angliae Catholicos ingratitudinis coarguas, quod tibi nullam gratiam retulerint (novi enim, quam gratiam intelligas), quod in ultimis tuis libellis adverſus Angliae Reginam, ejuſque Senatum, praeſertim Comitem Leyceſtrenſem *tam accerbe eſſes debacchatus, quod opem Belgis rebellibus tuliſſent; quod de Comitis* Northumbriae *morte tam artificioſe fingeres, dictum ſat eſt.*

Ego cavebo, aliquot tibi coronatos mitti; ſcio enim te mihi parem gratiam relaturum. Interim me tuis litteris de omnibus, quae ibi occurrant, praeſertim de Parmenſis ſalute certiorem facias. Ego tibi, quacunque re potero, me nunquam defuturum recipio ſpondeoque, tu me, ut ſoles, ames. Vale!

FINIS.

SERENISSIMORUM PRINCIPUM ELECTORUM PALATINORUM RHENI

PROSAPIA, NATALES ET SERIES,

CUM

BREVI PROSOPOGRAPHIA

AB

OTTHONE WITTHELSBACHIO

AD

FRIDERICUM V. ELECTOREM REGEM BOHEMIAE

DEDUCTA;

Nunc primum ex Autographo Illuſtriſſimi

PRINCIPIS

FRIDERICI HENRICI,

Laudatiſſimi ac Sereniſſimi Bohemorum Regis

FRIDERICI

Principis Electoris Palatini

Primogeniti Filii

EDITA.

Digitized by Google

In rei memoriam
Rythmi Germanici Heidelbergae in aula adſcripti, quos ita vertimus:

Ottho Palatini Rheni qui primus adeptus
Nomen, conjugii ſacro ſibi foedere junxit
Henrici gnatam Palatini: exinde ſecuta
Proles clara cluet Septem ſplendore Virorum,
Quos penes Imperii Romani eſt ſumma poteſtas.

SERENISSIMO REGI BOHEMIAE

FRIDERICO V.

ELECTORI PALATINO,

DOMINO AC PATRI CLEMENTISSIMO.

HISTORIAM MAJORUM Noſtrorum, reſque domi ac foris praeclare geſtas, multi multis monumentis condidere. Ex omnibus HERMANNUS WITEKINDUS, Profeſſor quondam *Heidelbergenſis*, epitomen confecit, ſtudiis Celſiſſimae memoriae Principis FRIDERICI IV. Electoris, avi mei, dicatam. Hanc M. V. de Germanico in Gallicum ſermonem tranſtulit, cum inito jam Electoratu, non minus totius Imperii, quam Provinciae ſuae curis varie diſtraheretur.

Ego,

Ego, otio meliore, etiam Latine convertere ſtudui.

Quid aſſecutus ſim, M. V. judicium eſto. MIHI ſatis fuerit, ſi, ex praecepto CATONIS, otii mei rationem approbavero M. V. ſimulque oſtendero, DOMESTICA haec DECORA mihi non muta ſimulacra. ſed viva exempla eſſe ad virtutem et gloriam.

Majeſtatis Veſtrae
Filius obſequentiſſimus

FRIDERICUS HENRICUS.

PRO-

PROOEMIUM.

Quanquam ſola Virtus, *quemque ſua, non parentum aut aliorum, vere nobilitat ac celebrem reddit: tamen pulchrum eſt, ipſiuſque virtuti plus adfert ſplendoris, ſi quis eam a laudatis* Majoribus *quaſi haereditate acceperit, et veluti haereditariam generis ſui notam conſervare atque augere ſtudeat.*

Hinc apud priſcos Romanos, nec minus apud alias gentes, majori ſemper in pretio fuere, qui antiqua ac nobili familia nati erant, quam qui inter ſuos primi virtute ac fortitudine emergebant et inclareſcebant: quos novos homines *dixerunt.*

Nam ſic fere judicant mortales, a fortibus non niſi fortes, *et qui ipſorum ſimiles ſint*, procreari; *ſicuti falco non parit, aut excludit noctuam.*

Non raro tamen falluntur ſua opinione, ut verum ſit diverbium: Heroum filii noxae. *Sic* Menasche *fuit degener Patris*

JECHIZKIJAE *filius*, CAMBYSES CYRI, COMMODUS ANTONINI etc. *Quare ſicut ii, qui majorum ſuorum virtutem imitantur, poſteri magna habent adjumenta ad decus et gloriam: ita degeneres et improbi tanto ſunt turpiores et foediores, quanto genere orti ſunt honeſtiore.*

Inter hujuſmodi veteres atque illuſtres Familias Gentis Germanicae minime poſtrema eſt COMITUM PALATINORUM AD RHENUM, *qui Genealogiam ſuam certa ſucceſſionis ſerie ſupra ſexcentos annos deducunt a priſcis* BAVARIAE COMITIBUS, DUCIBUSQUE. *Ex his* OTTHO *ille* Witthelsbachius *non ſecus eminet, quam pretioſa margarita in corona relucet. Unde Stipes generis ſui conſtitui ac cenſeri ſolet.*

Ab hoc Stipite ad noſtram uſque aetatem, honoris et gratitudinis ergo enarrabimus proſapiam et ſucceſſionem Sereniſſimorum Electorum Palatinorum quantum quidem ejus ex ſcriptis, monumentis, aliiſque documentis cognoſcere licebit.

OT-

OTTHO (*) A WITTHELSBACH.

OTTHO a *Witthelſbach*, filius *Comitis* (**) *Scheirenſis*, adeo celebratur in vetuſtis hiſtoriis, ut alius ejuſdem ordinis majoribus laudibus ornari nequeat. Fuit ſanguine generoſus, forma venuſtus, corpore robuſtus, ingenio acutus, ſapiens, magnanimus, eloquens, et, quod praecipuum eſt, *ſeverus vindex juſtitiae, ac modeſtiae honeſtatiſque cultor.* Quem nullius laboris taedebat, nullum periculum terrebat: cui gloria omnibus divitiis potior erat: quem denique gratia ſermonis, habitus, geſtuſque ſumme commendabant. OTTHO A WITTHELSBACH.

Adoleſcentem pater ex pacto obſidem dedit CONRADO III. Caeſari. Qua occaſione in aulae notitiam devenit. In magnas educabatur ſpes cum nepote Caeſaris

K ex

* *Germanice dicitur* Wittelſpach.

** *Etiam* OTTHO *vocabatur, quemadmodum et ipſius pater.*

OT-THO A WIT-THELS-BACH.

ex fratre, qui poſtea FRIDERICUS I. Caeſar, et ab Italis BARBAROSSA dictus eſt. Huic OTTHO tam charus fuit ob ingenium, mores, rerumque uſum, ut in omnibus majoris momenti negotiis ipſo uteretur praecipuo adminiſtro. Erat pacis bellique arbiter, conſilio juxta ac manu promtus.

Et ecce animi recti erectique ſpecimen: *Nuncius* Papae convenerat FRIDERICUM Imperatorem *Veſontii* anno CIƆCLVI. Quem cum audiret, adſtabat OTTHO evaginato gladio, ut Praefectus Praetorio. Inter caetera perſtringebat *Legatus* ingratitudinem Caeſaris in Papam: cui tamen deberet dignitatem ſuam. Eo ſermone irritatus OTTHO, prehenſo gladio confoſſurus ipſum fuiſſet, niſi Caeſar throno deſiliens ſe oppoſuiſſet.

Adeo urebat generoſi pectoris GERMANUM Pontificum nequam ſuperbia et inſolentia, quam in Caeſares, et tum praecipue adverſus hunc Heroa exercebant.

Et quo MAJESTATEM Imperii tueretur atque augeret, OTTHO nullos labores, pericula nulla ſubterfugiebat.

Inde aeſtimare licet, quo animo acceperit, quod *Caeſar* Dominus ſuus *Venetiis* in veſtibulo S. MARCI a Papa (a) pedibus calcatus eſſet.

Tam

(a) *Hiſtoriam hanc, ſatis et omnibus fere no-*

Tam fida miniſteria, totos XXVIII. annos continuata, liberaliter penſavit Caeſar, dum Bavariam cum Ducis elogio attribuit, HENRICO LEONE Braunſwicenſe ob perduellionem abdicato. OTTHO A WITTHELSBACH.

Mortuus eſt anno CHRISTI CIↃCLXXXIII. Ducatus ſui tertio, ac *Scheurae* humatus. Quod caſtrum olim *avus* ipſius, qui una cum fratre votivam *peregrinationem* ſuſcepit *Hieroſolymam*, in clauſtrum *Benedictinorum* converterat.

Praeter alios, cognominis ipſi fuit frater natu minimus, ex quo natus eſt (b) OTTHO WITTHELSBACHIUS, macula ac probrum Familiae ſuae, qui Caeſarem PHILIPPUM *Bambergae* in cubili ſuo proditoria manu trucidavit.

Sic ergo neque haec Familia poteſt abolere urſum Norimbergae (c) depictum,

notam, *multi* Eruditi *ut* FABULAM *exploſerunt*, *et poſt illos* Cl. et elegantiſſimi ingenii, raraeque eruditionis Vir JOH. CHR. HEUMANNUS *in ſua* Poecile *tom* 3. *lib.* 1. *diſſertat.* 10.

(b) OTTHO VITILSPACHIUS, *ita alii ſcribunt*, Palatinus, *cui* PHILIPPUS II. *ob caedis probrum filiam denegaverat*, *ira propterea accenſus*, *Imperatorem in ipſo Bambergenſi palatio*, *dum ſalutare ſimulat*, *interemit* A. MCCVIII Imperii X.

(c) *Vid.* Cl. JOH. CHRISTOPHORI WAGENSEILII *Noriberga.*

OTTHO A WITTHELSBACH.

aut rythmum inducere, quem etiam MAXIMILIANUS I. reliquit integrum, et CHRISTUS ipſe relicturus fuiſſet, ſiquidem eo veniſſet.

Noſter vero OTTHO, virtutis gloria inclytus, uxorem habuit Bavaram, Waſſenburgi Comitem, nomine AGNETAM, ex qua ſuſcepit filium unicum LUDOVICUM, et aliquot *filias*.

LU-

LUDOVICUS I.

LUdovicus, Otthonis filius, admodum puer erat, cum *pater* diem obiret ſupremum. Educatus eſt igitur cura patrui ſui Episcopi *Salsburgenſis*. Adultior factus vixit in aula Caeſaris Henrici VI. a quo inveſtituram *Ducatus* ſui *Wormatiae* accepit. Eadem conditione fuit apud Imperatorem Fridericum II. Henrici VI. filium. Quo cum trans mare profectus eſt in (d) bellum *Saracenicum* ad recuperandam *Hieroſolymam*. In qua expeditione magna Ludovici au- Ludovicus I.

(d) *De Bello illo Sacro vide auctores, quos collegit* Jacobus Bongarsius, *integro volumine, cui titulus:* Geſta Dei per Francos. *Cl.* Herman. Witsii *Miſcell. Sacr. tom. 2. exercitat. 12. p.* 383. *etc.* Benedict. Accoltus. *de Bello a Chriſtianis contra Barbaros geſto pro Chriſti ſepulcro et Judaea recuperandis*; cujus novam editionem debemus Doctiſſimo Senatorii Groningani Ordinis Viro Henr. Hofsnyder, *Groningae* 1731. 8. *ut jam alios praeteream. Nam nullus ferme eſt alicujus nominis hiſtoricus, illa ſuperſtitioſa tempora reſpiciens, quin illius Expeditionis Cruciatorum mentionem injecerit ſat amplam.*

LUDOVICUS I. auctoritas, magnae moleſtiae atque labores, ſed non pares ſucceſſus fuere.

Poſtquam domum reverſi ſunt, *Caeſar* FILIUM ſuum creavit *Regem Romanorum*, collocavit eum in matrimonium, et, quia negotia habebat in *Italia*, *Germaniam* ei commiſit: ſic tamen, ut propter immaturam aetatem omnibus in rebus publicis privatiſque curatorem ei daret LUDOVICUM *Bavarum*, prudentiſſimum ac ſapientiſſimum aetatis ſuae Principem in Imperio habitum, prout monumenta vetera teſtantur. Praemium operae atque officiorum fuit *Palatinatus Rheni*, comitiis *Ratisbonenſibus* ipſi collatus anno *Salutis* CIƆCCXV.

Poſtremo, cum improbaret rebellionem *filii Regis* adverſus *patrem Caeſarem*, cleri impulſu ſuſceptam, atque etiam aula abſtineret, *Epiſcopi* clam in ipſum concitarunt morionem aulicum, qui ipſum confodit a coena obambulantem in ponte *Danubii Keilhemii*, tertio ſupra *Ratisbonam* lapide, anno Chriſti CIƆCCXXXI. XV. Kalend. Octobris.

Uxorem habuit LUDIMILLAM, filiam Regis *Bohemiae*, et ex ea genitos filium OTTHONEM filiamque ISABELLAM, nuptam FRIDERICO II. Caeſari.

Communis fert opinio, hunc (e) LUDOVI-

(e) *Primus e ſuo genere fuit Elector, e quo-*

vicum fuiſſe primum *Electorem*, cujus ante aetatem hiſtorici (f) *Electorum* non meminerunt. Lu- dovi- cus I.

K 4 Se-

quo reliqui Electores Palatini ad Rhenum orti.

(f) *Inter dubia vexata, quae in hiſtoriis occurrunt, merito refertur hujus dignitatis origo, quam* nonnulli *a* Carolo Magno, alii *ab* Otthone III. *et ejus conſanguineo Pontifice* Gregorio V. *circa annum* 996. *derivant*. Quidam *vero* Electorum *incunabula referunt ad Imperatorem* Henricum II. *vel* Conradum II. *aut* Fridericum I. *vulgo* Barbaroſſam, *ſive* Otthonem IV. *Verum cum hae epochae admodum incertae ſint, neque ullis innitantur ſolidis fundamentis, alii ortum aſſignant* Friderico II. Onuphrius *probare nititur, poſt fata demum* Friderici *Imperatoris fuiſſe definitum certum* Electorum *numerum, cum antea omnes Germaniae Principes ſuffragiis ſuis Imperatorem eligerent, ignoto numero ſeptenario, atque adeo ipſo Electorum nomine: concludit tandem inſtitutionem Electorum omnino referendam videri ad intervallum illud, quod intercedit annum inter* 1250. *et* 1280. *et, quod valde fit veriſimile, ad Pontificatum* Gregorii X. *quae fortaſſe cauſa erroris illorum, qui* Gregorio V. *illam tribuerunt. Hanc ſententiam Doctiſſ. et Cl.* L. Elias du Pin *in Bibliotheca Nova Scriptor.* Ec-

LUDOVICUS I. Sepultus eſt in monaſterio *Scheirenſi* juxta patrem ſuum.

Eccleſ. tom. 8. *firmaturus*, *percurrit breviter hiſtorias electionum inde a* Carolo Magno *uſque ad* Fridericum II. *et per inductionem probat*, *toto illo temporis intervallo nuſquam fieri mentionem* ſeptem *Electorum. Primus illorum meminit* Cardinalis Oſtienſis, *qui vixit tempore Innocentii* IV. *in Commentario ad Decretalem Innocentii* III. *dein* Matthaeus Paris *et* Martinus Polonus (*ſcriptores ſeculi* XIII.), *qui poſterior illos nominat*, *dum de* Otthone III. *verba facit*: *quod multis*, *uti ſupra vidimus*, *videtur anſam dediſſe credendi*, *eos ſub eodem* Otthone *fuiſſe inſtitutos. Concludit ergo*, *ſeculo demum* XIII. *ſub* Innocentio IV. *numerum Electorum ad* ſeptenarium *fuiſſe reſtrictum*, *cum antea omnibus Imperii Principibus et Proceribus jus eligendi competeret. Vid.* L. Neocori *Biblioth. Librorum Novor. tom.* 2. *p.* 45, 46. *Noſtrum non eſt illas componere lites*, *neque propterea alicui diem dicere. B. L. conſulere poteſt* LUCAE DE LINDA Deſcriptio Orbis et omnium Rerumpublicarum *pag.* 729. *et ſeqq. et* JOH. GUILIELMI JANI Judicia Eruditorum de Origine Electorum, *Witteb.* 1729. *in* 8. *et* THULEMARII *Octoviratus*, *Franc.* 1688. *in* 4. CAROLUS IV. Aurea Bulla *jus electionis* Septem *attribuit anno* 1356. *quarto Iduum*

Ja-

Januarii. Acceſſit ut Octavus MAXIMILIANUS *Bavariae Dux anno* 1623. *regnante* FERDINANDO II. cujus auctoritas 1648. corroborata. Tandem anno 1692. ERNESTUS AUGUSTUS *Dux* Hannoverae *ut* Nonus. *Sunt ergo hodie* Novem *Electoratus, quorum tres Eccleſiaſtici, et reliqui ſex Seculares, uti notiſſimum. De Electorum dignitate et immunitatibus vel privilegiis vid.* DE LINDA *l. c. Primi Electores apud* J. B. MENCKENIUM *part.* 2. *Scriptorum Rerum Germanicarum* etc. *his exprimuntur verſiculis, ac dignitates indicantur*: LUDOVICUS I.

Moguntinenſis, Trevirenſis, Colonienſis.
Quilibet Imperii ſit Cancellarius horum.
Eſt Palatinus Dapifer; Dux (*) portitor enſis;
(**) Marchio praepoſitus camerae, pincerna Bohemus.
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſecula ſummum.

* *Nim.* Saxonicus.
** *Nim.* Brandenburgicus.

Ot-
tho
II.

OTTHO II.

Ottho *Ludovici* filius, a morte patris *Bavariam* et *Palatinatum* ſimul tenuit. Sed de *Palatinatu* res altius arceſſenda eſt. Eum Fridericus I. Caeſar conceſſit fratri Conrado, mortuo anno MCLXVIII. ſepultoque prope *Heidelbergam* in monaſterio *Schönavienſi*, quod conditum eſt anno CIƆCXLII.

Hujus filius patri cognominis, poſt fata ejus *Palatinatum* poſſedit, et arcem *Neuburg*, vicinam *Heidelbergae*, virginibus ſacris in coenobium dicavit.

Deceſſit Anno MCXCV. *Filia* vero nupſit Henrico *Braunſwicenſi*, Leonis filio, qui etiam *Palatinatum* impetravit. Defunctus eſt A. C. MCCXIII. *Schönavii* inhumatus.

In provincia ipſi ſucceſſit Ludovicus *Bavariae Dux*, *pater* Otthonis.

Qui Ottho *Henrici* Palatini filiam (g) Agneten (Gertrudem alii vocant)

(g) *Haec* Agnes *vel* Agneta *habuit filiam* Eliſabetham, *quae primo nupſit Caeſari* Cunrado, *Caeſaris Friderici II. filio, poſt illius fata matrimonium contraxit cum Meinhardo, comite Terioli etc.* *ac*

cant) ſibi deſponſavit *Ratisbonae*, illo ipſo tempore, quo patri inveſtitura *Palatinatus* conferebatur. ORTHO II.

Sed nuptiae demum aliquot poſt annos celebratae ſunt.

Teſtantur probatae hiſtoriae, non ipſum, ſed patrem fuiſſe primum hujus Familiae *Rheni Palatinum*.

(h) Gladiatoriis aliisque ludis Equeſtribus, quae tunc temporis propria erant Principum ac Nobilium exercitia, ſponſam obtinuit.

Quod putant nonnulli, ipſam *Palatinatum* veluti dotalitium attuliſſe marito, commentum eſt. Non enim fuit feudum femininum: ſed beneficio Caeſaris eum a patre accepit.

FRI-

ac cum eo habuit filiam, etiam Eliſabetha *dictam, quae nuptias celebravit cum Caeſare* ALBERTO I. RUDOLPHI I. *filio. E quibus hodierna Domus Auſtriaca orta.*

(h) *de Ludis Trojanis vel Torneamentis, nobis* Tournoie Spel, *quae Henricus Auceps primus celebraſſet Magdeburgi anno* 930. *quibus legibus, qui admittebantur etc. quoties celebrata etc. vid.* Joh. Adami Weberi *Ars Converſandi p.* 961. Guid. Pancirolli *Rerum Memorabil. l.* 2. *titul.* 20. *p.* 289. *etc. Alios dabit Auctores* Joh. Alb. Fabricius *Bibl. Antiquar. p.* 627. *edit. prim.* Vid *et* Luiſcie *Lexicon Univerſale ad verbum* Blaſon.

Ot-tho II. Friderico II. Caeſari adeo charus erat Ottho, ut amica epiſtola ipſum conſolaretur lugentem caſum patris ſui.

Ipſe viciſſim fidem omnem atque obſequium praeſtitit Caeſari. Diſceſſit a filio ejus Henrico Rege, poſteaquam animadvertit, ipſum (concitoribus Papicolis) inſidiari vitae patris.

Ideo et Rex eum perſequutus eſt, et, Caeſare abſente in Italia, ditiones ejus invaſit et infeſtavit. Sed Deus tantam inſolentiam ac malitiam non diu ſivit impunitam. Nam a patre in vincula conjectus, inibi deceſſit.

Ottho vero filiam *Eliſabetham* elocavit filio Caeſaris juniori Conrado, qui poſt fratrem Rex Romanorum creatus fuit. Deinde mortuus eſt, excommunicatus a Pontifice: propterea quod partes Imperatoris tueretur adverſus Epiſcopos. Nihilo tamen minus in monaſterio *Scheirenſi*, loco ſacro, tumulatus fuit, anno Christi (i) MCCLIII.

Uxor Agnes duos filios et totidem filias ipſi peperit.

Majori Ludovico obtigit *Bavaria ſuperior* cum *Palatinatu*; Henrico minori *Bavaria inferior*, cujus Familia poſtquam intercidit, provincia ad Ludovicum IV. Imperatorem devoluta eſt.

L U-

(i) *Alii illum anno 1245. obiiſſe tradunt.*

LUDOVICUS II.

LUDOVICUS, filius OTTHONIS natu. major, poſt fata ipſius, Dux *Bavariae*, *Palatinus Rheni*, et *Elector* ſalutatus fuit. LUDOVICUS II.

Erant ea tempeſtate afflictae res Imperii, quod de electione Imperatoris annos totos XVII. diſſiderent Principes. Et hanc ipſorum diſſenſionem Pontifices Romani pro more accendebant, et ſedulo fovebant. Pars ALFONSUM Regem Hiſpaniae, alii RICHARDUM Anglum elegerunt. Obſervatum eſt, etiam HENRICUM *Palatinum*, LUDOVICI fratrem, veniſſe in partem ſuffragii. Quod argumento eſt, electionem Caeſaris ne tum quidem propriam fuiſſe Septemvirum.

Tandem inito conſenſu, LUDOVICO *Palatino* rem deferunt (tanta erat ipſius auctoritas), ut quem ipſe dignum Imperio judicaret, is Imperator eſſet.

Sed modeſte ſe excuſavit. Partim quod plenum arrogantiae videretur ab uno ſuſcipi, quod multorum prudentum conſilia ac judicia requireret. Partim quod complurium ſibi malevolentiam atque inimicitias conciliaturus eſſet, qui in ambitu Imperii praeterenndi forent.

Cum nihilominus inſtare pergerent, ob-

ſe-

LUDOVICUS II. ſecutus voluntati eorum, (k) Caeſarem dixit RUDOLPHUM *Habsburgi Comitem*, felici plane auſpicio. Qui poſtea gratitudinis ergo filiam ipſi dedit uxorem.

A morte Caeſaris RUDOLPHI conſentire renuit in electionem ADOLPHI NASSOVII. Sed ſuffragio ſuo deſignavit ALBERTUM AUSTRIACUM affinem ſuum.

Cum igitur reliqui Electores, ſecundo Rheno, comitarentur novum Imperatorem ADOLPHUM *Coloniam* uſque et infra *Bingam*, Caſtellum Palatinum *Furſtenbergum* praetervcherentur, nec appellerent ripae ad ſolvendum vectigal; qui in arce erant praeſidiarii arcu jaculantes, in navi eum confoderunt, qui Imperatori aſſidebat.

Hinc LUDOVICO Palatino gravia incommoda et pericula nata ſunt Uſus eſt multis *Principibus* arbitris et deprecatoribus. Tandem juramento ſe purgavit: *quod ſe neſcio et inconſulto id factum eſſet*

TRES ordine habuit *Uxores*. PRIMA fuit

(k) *Francoſurti in conventu Principum hujus* Rodulfi, *Comitis Habſpurgenſis, magnanimitatem miris extollebat laudibus* Wernerus *Moguntinus, quia tutum ei, Romam pergenti, iter ad Alpes uſque praeſtiterat; atque in aeſtimando principe, divitiis potentiaeque egregias animi dotes longe praeferendas differebat.*

fuit Maria *Brabantina*, quam ob ſuſpicionem adulterii ſupplicio affecit. Humata eſt Werthae Sueviae. Sed ſpectro ita conterritus fuit, ut una nocte totus caneſceret. Ludovicus II.

Secunda erat Anna (l), filia Ducis Conradi *Glogovienſis* in *Sileſia* ex conjuge *Polona*, quae peperit filium Ludovicum, cognomento Bene Moratum.

Is Noribergae in haſtiludio tranſfoſſus fuit a *Comite Hohenloenſi*. Nec referendus eſt inter Electores, ut a quibuſdam fit.

Tertia erat Mechtildis, Rudolphi I. Caeſaris filia, ex qua *duos filios* ſuſcepit, *majorem* Rudolphum, *minorem* (m) Ludovicum (*Bavarum*), poſt Regem vel Imperatorem Romanorum.

Fuit Ludovicus Palatinus in juventute ſua perliberalis. Senex paulo tenacior factus eſt, juxta proverbium: *Quo minus viae reſtat, hoc plus viatici quaeritur.*

Caeterum, Princeps animi recti atque honeſti, fortium factorum ſtudioſus, in templo devotus, in menſa modeſtus.

Obiit

(l) *Alii illam filiam dicunt Regis Poloniae fuiſſe.*

(m) *A quo hodierni Bavariae Duces deſcendunt, ac orti ſunt.*

LUDOVICUS II. Obiit HEIDELBERGAE ANNO DOMINI MCCXCIV. aetatis ſuae LXV. Tranſlatus fuit in BAVARIAM SUPERIOREM in coenobium FURSTENFELDENSE, quod placandis primae conjugis manibus condiderat. Ubi etiam filius ipſius, ille BENE MORATUS, cubat.

RU-

RUDOLPHUS I.

Rudolphus, Ludovici Palatini *filius ſenior*, natus erat annos viginti, cum pater moreretur: Ludovicus *junior* annos ſeptem. Ru-dol-phus I.

Poſtquam adierat Rudolphus gubernationem Provinciarum ſuarum, valde durum ſe praebuit adverſus matrem ſuam (forte non ſine culpa ipſius, quod eſſet ſuperba et imperioſa femina), atque etiam adverſus fratrem ſuum: amboſque aliquamdiu Monachii ſub cuſtodio habuit.

In diſcordia duorum *Caeſarum*, Adolphi et Alberti, ſocero Adolpho auxilia miſit: atque ipſe etiam interfuit horribili proelio, commiſſo non procul a *Rheno* et Wormatia, inter duos vicos Hasenloch et Hasenbuhel: ubi Adolphus manu Alberti confoſſus fuit Anno Christi mccxcviii. xiv. *Julii.*

Poſtea a morte Henrici vii. comitiis electivis ſuffragium fratri denegavit, uti fieri ſolet inter fratres, in primis, cum ſenior aegre fert, praeferri ſibi juniorem.

Deſignavit autem Fridericum Austriae Ducem. Ideo frater, confirmatus jam in imperio, ditione eum ejecit, ut in Angliam fugeret, atque in

RUDOLPHUS I.

exilio moreretur, anno MCCCXIX. Forte etiam nondum exciderat, quod juvenis ab ipſo paſſus fuerat.

Uxor *ipſi* erat MECHTILDIS, ADOLPHI *Caeſaris* Filia: quae fatis conceſſit in AUSTRIA apud FRIDERICUM Regem. Ex ea ſuſcepit III. filios, (n) ADOLPHUM, RUDOLPHUM, et RUPERTUM.

His nepotibus ſuis LUDOVICUS CAESAR reſtituit *Palatinatum*, et in inferiore Bavaria AMBERGAM cum annexis, dicens ſe nolle, ut liberi luerent culpam parentis.

HEIDELBERGAE in templo *Auguſtinianorum* depicti exſtant RUDOLPHUS et Pater ipſius, cum inſcriptione. Ibidem oſſa eorum in altari condita. Quod non congruit cum probatis hiſtoriis, quae teſtantur, iſtum FURSTENFELDII in monaſterio ſuo ſepultum, illum autem in ANGLIA mortuum.

RU-

(n) ADOLPHUS *natus fuit* 1306. *ac dein* SIMPLEX dictus; in matrimonio habuit IRMENGARDAM, Comitis *Ludovici* Oettingae filiam, quae 1339. at ille 1327. obiit. Reliquit filium *Rupertum* dictum II. de quo Auctor noſter deinceps.

RUDOLPHUS II.

RUDOLPHUS ſecundus, filius RUDOLPHI I. Princeps erat *prudens* ac *eruditus*, et in magna gratia apud *Patruum* ſuum LUDOVICUM CAESAREM: qui expeditionem ſuſcipiens in ITALIAM ipſum conſtituit *Legatum* per BAVARIAM et GERMANIAM. RUDOLPHUS II.

(n) Prima ejus uxor fuit ANNA, filia CARINTHIAE Ducis, quae unicam ei (o) filiam peperit.

Hanc poſtea CAROLUS BOHEMIAE REX uxorem duxit, quo conciliaret ſibi ELECTOREM RUDOLPHUM in ſpem Imperii (p) ipſius favore impetrandi.

Siquidem tum PALATINI erat ELECTORES convocare ad electionem.

Mortua eſt ANNA CARINTHIA anno

(n) *Ita hic ab Auctore dicitur, quia nonnulli volunt alteram ejus Uxorem fuiſſe ſororem* FRIDERICI *Regis Siciliae. Quod num veritati congruat, aliis dijudicandum relinquimus. Genuinis deſtituti monumentis in his antiquitatum tenebris nihil temere affirmare vel negare volumus.*

(o) *Quae etiam* ANNA *dicta.*

(p) *Neque ſpe ſua decidit. Nam illius ope Imperatoriam obtinuit dignitatem.*

RUDOLPHUS II.

no MCCCXXXI. ac ſepulta eſt SCHONAVIAE.

IPSE vero (q) deceſſit anno MCCCLIII. tumulatus NEOSTADII in templo S. MARIAE, quod ipſe condiderat, et poſtea frater RUPERTUS *collegio Canonicorum* exornavit.

ADOLPHUS fratrum natu maximus ſtolidus erat, eoque ineptus negotiis gubernationis Nihilominus ex conjuge IRMENGARDE, COMITIS OTTINGENSIS filia, ſuſcepit filium prudentem ac fortem RUPERTUM ADOLPHUM.

Inhumatus (r) eſt SCHONAVIAE. IRMENGARDIS (s), uxor ipſius, LIBENAVIAE in monaſterio prope WORMATIAM, quod ipſa condiderat.

RU-

(q) *Natus autem fuit anno* MCCCIX.

(r) ADOLPHUS, *dictus* SIMPLEX, *natus eſt anno* 1306. *obiit* 1327.

(s) IRMENGARD *vel* IRMENGARDIS deceſſit anno 1339.

RUPERTUS I.

SIVE

RUFUS.

RUPERTUS (t), duorum fratrum minimus, RUDOLPHO ſucceſſit in gubernatione Provinciae. Cognominatus eſt RUFUS et SENIOR ad differentiam nepotis ex fratre RUPERTI JUNIORIS. RUPERTUS I.

Hic ACADEMIAM HEIDELBERGENSEM fundavit (v) anno MCCCLXXXVII.

(t) RUPERTUS *vel* RUPRECHT, *cognominatus fuit* DER ROTLICHT, *et* FERHEGVT, *ac deinceps* PRAESENIOR.

(v) *Alii fundatum ſcribunt* 1386. *quod de ipſis procul dubio primordiis ac propoſito, a Pontifice Urbano* VI. *pro more illius temporis confirmando, capi debet. Nam primi lectores exſtitere, ac initium legendi fecere* M. Marſilius ab Inghen *S. Theologiae Doctor, quem aetas illa propter opinionem doctrinae ſuſpiciebat: et* M. Heilmannus de Wormatia, *in Facultate artium: et* M. REGINALDUS *Monachus Ciſter. Ordinis, Theologiae Doctor in facultate Theologica anno* 1387. 19. *Octobris.*

RU-PERTUS I. CAROLO IV. nimium fuit addictus. Vendidit ei vili pretio multas urbes et vicos mercatu nobiles, ſitos in confinio BOHEMIAE, qui fuerant fratris RUDOLPHI. Hos poſtea RUPERTUS JUNIOR, ejuſque filius RUPERTUS REX armata manu recuperarunt.

Adjunxit PALATINATUI *vectigalia* quaedam RHENANA, quae ipſe, ſicut et alii Electores dono accepit a CAROLO IV. tantum ut filium ejus WENCESLAUM crearent *Regem Romanorum*. Quem tamen poſtea propter ignaviam depoſuerunt.

Deceſſit RUPERTUS ANNO CHRISTI MCCCXC. die 16. Febr. ſepultus NEOSTADII in ſacrario, quod ipſe templo adjecit. Juxta eum quieſcit Conjux (x) BEATRIX, *Dux Bergenſis*.

Pri-

bris. M. Marſilius *Rector creatus anno* 1387. *Novemb.* 17. *qui dies quaſi Academiae Heidelbergenſis natalis fuit. Verum de hac Academia, quam ad formam Academiae Pariſienſis Elector inſtituebat, pluribus diſſerere nolo: verum Lectorem remitto ad rariſſimam et elegantiſſimam* GEORGII SOHNII Orationem hiſtoricam de Fundatione et Conſervatione laudatiſſimae Academiae Heidelbergenſis, HANOVIAE 1607. *in* 4.

(x) BEATRIX van Berg obiit anno 1395.

Prima ejus *Uxor* fuit (y) COMES NAMURCENSIS. ſepulta HEIDELBERGAE in aede *Franciſcanorum*. Nullos reliquit liberos. RUPERTUS I.

(y) Illa ELISABETHA *vocabatur, ac deceſſit anno* 1382.

RUPERTUS II.

SIVE

JUNIOR.

RUPERTUS II.

RUPERTUS(z), ADOLPHI filius, aetate florente bellicoſus fuit, magnuſque belli Dux.

Auxilia tulit patruelibus ſuis LUDOVICI CAESARIS filiis, qui MARCHIAM *Brandenburgenſem* tenebant: unde, impulſu CAROLI CAESARIS, ſubditi eos propter diſſolutám vivendi rationem ejicere moliebantur.

Ter pugnatum eſt eodem die. Tertio proelio ipſe captus et CAROLO CAESARI traditus; ſed rurſum certa lege ab ipſo dimiſſus fuit.

A morte CAROLI ipſe, filius ipſius, nec non patrueles ſeſe conſociarunt, ac ademerunt WENCESLAO, quae RUPERTUS RUFUS regno BOHEMIAE vendiderat. Pro-

(z) *Cognominatus eſt* SENIOR, *etiam* DURUS, *et* BRANDITZ. *Nonnulli et* CLEM *vel* CLEMENTEM *dictum volunt. Quod cognomen tamen alii* RUPERTO III. *attribuunt.*

Propterea, cum juſſu CAESARIS Foederis RHENANI Socii hoſtiliter PALATINATUM invaderent, ipſe ad SPIRAM eis occurrit, et plures quidem cecidit, alios vero cepit, quotquot ſibi fuga non conſuluerant. RUPERTUS II.

Senex flagravit ingenti zelo gloriae Dei, et in pauperes multa erogavit. Coepit ſtructuram *Eccleſiae Collegiatae* HEIDELBERGENSIS ad SPIRITUM SANCTUM, quam filius RUPERTUS abſolvit.

Sedecim *Praebendis Neoſtadianis* detraxit quatuor, easdemque Eccleſiae *Heidelbergenſi* dicavit conſenſu Pontificis.

Regnavit a morte *patris* annos *octo*. Deceſſit anno MCCCXCVIII. 6. die Januarii, ac SCHONAVIAE juxta patrem ADOLPHUM inhumatus.

UXOR (a) ejus, FRIDERICI SICILIAE Regis filia, peperit ipſi RUPERTUM Regem Romanorum, et filias duas.

L 5 RU-

(a) *Quae* BEATRIX vocabatur, ac obiit 1365.

RUPERTUS. III.

REX ROMANORUM.

Rupertus III.

Rupertus (b) tertius exiguus fuit ſtatura, unde Itali PARVUM dixere, at magno ingenio et animo. In *armis belliſque* egregie *exercitatus*. Vindex *juſtitiae* ſeverus, et in *pauperes* beneficus.

Anno tertio a morte *Patris* convocavit Electores Francofurtum (quod tum muneris erat Palatini, Bulla (c) aurea necdum plene recepta), ut

(b) *Dictus eſt* Praejunior, Junior, Juvenis, *et* Clem, *ab aliis* Clemens.

(c) Aurea Bulla *a Caeſare* Carolo IV. *anno* 1356. *data eſt. Cujus ſtatim tres parallelae confectae ac* aureo ſigillo *ornatae. Quarum una* Heidelbergae, *altera* Moguntiae, *tertia* Francofurti *ſervatur. Ab una parte* ſigilli *haec leguntur verba*: Roma caput mundi regit froena orbis rotundi. *In alia parte*: Carolus quartus etc. vid. Joh. Sleidani Commentar. de Satu Relig. et Reipubl. *l.* 1. *p.* 27, 28. *Hanc* Legem *eruditis illuſtrarunt commentariis* Gerlach-Buxtorfius; Dominicus Arimeus; Martin. Ru-

ut abdicato WENCESLAO alium crearent CAESAREM. Elegerunt autem FRIDERICUM DUCEM BRAUNSWICENSEM: qui in (d) reditu prope FRITZLARIAM impulſu PRAESULIS MOGUNTINI, ſcelere COMITIS WALDECCENSIS obtruncatus eſt. RUPERTUS III.

Poſtea congreſſi ſunt *Electores* BOPARDIAE, ubi Regem Romanorum deſignarunt RUPERTUM PALATINUM, anno MCCCC. 15. (e) *Auguſti.*

COLONIAE inauguratus eſt a loci Epiſcopo (f), excluſus ab AQUISGRANENSIBUS, qui WENCESLAO adhaerebant, qui deinceps graviter propterea mulctati ſunt, ac illos, ut et alias civitates WENCESLAO ſtudentes redegit ad obedientiam.

RUPERTUS CAESAR inſtructo cum ex-

RUMELINUS; LIMNEUS; BECHMAN; LUDEWIG; ALIIQUE.

(d) *Alii illum ſcelerata Waldecii Comitis opera in itinere periiſſe referunt*, cum ad diadema ſuſcipiendum veniret. *Cumque id Moguntini Praeſulis conſilio ac ſuaſu fieret, proverbio inde vulgatum eſt:* MOGUUNTIA AB ANTIQUO NEQUAM.

(e) *Quidam die* 21. *Auguſti creatum volunt.*

(f) *Nim. Friderico.*

Ru-perTus III. exercitu dein in ITALIAM profectus eſt, ut extorqueret Principibus, quae Imperio ipſius detraxerant.

Sed irritus fuit conatus. In cauſa erant EPISCOPUS COLONIENSIS et DUX AUSTRIAE, qui cum auxiliis ſuis deſeruerunt.

Caeteroquin quoad ſupervixit (id autem decennium fuit), fidus atque utilis fuit Imperio.

ECCLESIAM COLLEGIATAM AD SPIRITUM SANCTUM HEIDELBERGAE a patre coeptam abſolvit. Chorum templo addidit, *primumque* (g) *lapidem*, pro more, *poſuit.*

Ibi-

(g) *De ritu* primum lapidem *ponendi in fundamentum* aedificiorum, templorum *etc. etc. et qua cum* ſolemnitate, *et qui hodie illud adhuc obtineat*, *vide* CAROLUM ANCILLONIUM, *qui peculiarem de eo libellum edidit. Confer etiam* HENRICI BANGERTI notas ad Chronica Slavorum HELMOLDI et ARNOLDI, *pag.* 261, 262. *Graecos hujus moris primos auctores nonnulli putant*; *nam* CONSTANTINUS *primum lapidem templi* SOPHIAE Conſtantinopoli *poſuit. Dein id factum ab* Epiſcopis, Regibus, Nobilibus etc. *in frontiſpicio aedificiorum publicorum*, *templorum etc.* Nomen *illius*, *qui primum poſuit lapidem*, *notari ſolet*, *cujus moris veſtigia ac exem-*

Ibidem in ſplendido *Mauſolaeo* conditur, mortuus OPENHEMII anno MCCCCX. die 18. Maji. RUPERTUS III.

Uxorem habuit ELISABETHAM (h), filiam maximi Principis FRIDERICI BURGGRAVII NORIBERGENSIS, ex qua filios (i) ſex, tres filias procreavit.

Primogenito RUPERTO, qui INFANS et PIPAN dictus, deſponſata erat filia CAROLI Regis Francorum, nomine CATHARINA. Sed ipſe, ex proelio contra TURCAM vix elapſus, cum domum rediiſſet, immatura morte deceſſit, tumulatus AMBERGAE MCCCXCV.

LU-

exempla alicubi obſervavi, vidique.

(h) *Illa obiit* 1411. *ac Heidelbergae juxta maritum ſepulta.*

(i) *Nomina illorum filiorum ſunt* RUPERTUS, de quo dictum; FRIDERICUS, *qui ſine liberis deceſſit*; LUDOVICUS III. *de quo mox*; JOHANNES, *ex* Catharina, Ducis Pomeraniae *filia, unicum ſuſcepit filium* Chriſtophorum. STEPHANUS *obiit* 1459. *relictis ſex filiis.* OTTHO, *natu minimus, dictus* MOSBACENSIS, *ex* ANNA, Henrici Landshutenſis *filia, quatuor reliquit filios. De quibus omnibus, ac illorum liberis hic non eſt agendi locus.*

LUDOVICUS III. (k)

BARBATUS. (l)

LUDOVICUS III.

LUDOVICUS, Caeſaris RUPERTI ex ELISABETHA tertius filius, *Princeps* fuit *ſtrenuus*, *ſincerus*, *religioſus*, *juſtus*, *verax*, fautor *Sacerdotum* ac *Doctorum*; unde SOLAMEN SACERDOTUM appellatus eſt.

Defendit CONCILIUM (m) CONSTANTIENSE anno MCCCCXV. juſſu SIGISMUNDI CAESARIS.

QUI, cum proficiſceretur ad CONCILIUM, HEIDELBERGAM tranſiens, ibidem totos XIV. dies magnifice acceptus et habitus eſt, *Rectore Academiae* eleganti *Oratione*, *Clero* ſuavibus modis (ADVENI-

(k) *Ab aliis* IV. *dicitur.*

(l) *A quibuſdam* COECUS, *a nonnullis* PIUS *vocatur.*

(m) *Concilium Conſtantienſe Calend. Novembr. an* 1414. *congregatum fuit. Vide* GUILIELMI CAVE Scriptor. Eccleſiaſticorum Hiſtor. Literariam, parte altera *p.* 321-323. *Res et hiſtoriam illius Concilii dederunt* CL. H. VON DER HART, *et* JAC. INFANTIUS.

nisti Desiderabilis etc.) Ipsum proſequentibus. Ludovicus III.

Cum Fridericus Dux Auſtriae Papam Johannem (n) xxiii. Constantiae depoſitum, ex Concilio captivum in arcem ſuam traduxiſſet: coëgit ipſum Ludovicus Palatinus, redderet *Pontificem*, redditumque Manhemium ditionis ſuae caſtrum

(n) *Juxta alios fuit* Johannes xxii. *quia* Johannem Papissam *numero Pontificum eximunt. Auctores, qui hanc litem uberrime egerunt, hic allegare nolo, ſunt enim ſat noti. Quis enim* S. Maresium, F. Spanhemium, Egb. Grimmium, G. Schererum, J. Infantium, A. M. Goëringium, Platinam, alioſque *ignorat; ut jam* Blondellum, Baelium *et* Wagenselium, alioſque, *qui exſtitiſſe negant, praeteream. Quibus accedit Cl.* Casp. Abelius in Hiſtor. Monarch. Orbis Antiqui *p.* 375. ubi *Pontificem illum propter nimiam animi mollitiem feminam dictam vult, quemadmodum et Semiramidem propterea e viro in feminam tranſmutarunt. Conſule et* Ph. Mornaei Myſter. Iniquitat. *p.* 163. *ac* Jacobi Baselii *elegantiſſimum libellum, cui titulus* Sulpitius Belgicus, ſive Hiſtor. Religionis *etc. pag.* 161-164.

LUDOVICUS III. Non ingratum erit Lectori, ſi ex MSS. Ampliſſimi Viri, jam defuncti, addam quae profert

DE FAMOSA HAC QUAESTIONE, utrum aliquid temporis ſpatium interceſſerit inter Papae LEONIS IV. Mortem et BENEDICTI III. Electionem, quo intermedium ſediſſe, vel ſedem vacaſſe demonſtrari poſſit.

Res parvi quidem momenti, ſed nec magni laboris: hactenus tamen juſto operoſius agitata, nec ideo finita. Quia neutra partium in Characteres inquiſivit, ſtatuentes utrinque certos terminos, quos migrare nefas. Pars enim altera ſoli inferiori innititur, quae adhaeret Benedicti emortuali et Nicolai ſucceſſoris initiali: Altera ſoli ſuperiori, qui reperitur ad annum Leoni fatalem. Ambae aptantes reliqua ad ſuum modum ex Monachorum diſcrepantium Chronicis. In quibus, quantum fiduciae ſit reponendum, praeclare intelligitur ex ipſorummet ſimplicitate et inſcitia, ex librariorum oſcitantia, ex litterarum fugientium dubia lectione, et vel maxime ex male feriatorum corruptelis et impoſturis. Ut omnino Characteribus opus ſit, quibus coërceantur, et ab erroribus revocentur.

Po-

Poſterior Character hujus loci, quem recte agnoſcunt Papiſſae adverſarii, male negligunt Patroni, omnino irrefragabilis eſt, duplici vinculo, Cyclis nempe ☉ *et Indictionum, conſtrictus. Peracta enim eſt electio Nicolai d. 24. Aprilis feria* 1. *ergo litera Dominicali B. Indictione* 6. *notae anni* 858.

Ludovicus III. Ann. Bertin.

Prior e contrario Papiſſae Patronis acceptus, Adverſariis non obſervatus, vel diſſimulando praeteritus (quod fere Blondellus fatetur), iterum duobus vinculis reperitur colligatus; Cyclorum ſc. ☽ *et Indictionum. Obiit namque Leo* 17. *Kal. Aug.* i e. *d.* 16. *Julii ante initium Cycli Dionyſiani* XVIII. *et quidem anno ultimo ſeu* 19. *Cycli praecedentis* XVII. *cui Leonis mors et ſucceſſoris electio ex aequo adhaerere debent, licet eadem linea utrumque capere non potuerit, adeoque Leo repraeſentetur* ☽ 18. *propter chartae anguſtiam in codicibus editis Mariani Scoti ad lineam proxime ſuperiorem Indictione* 2. *denique ſeſſionis ſuae anno octavo et ultimo currente, quo egit Ticini conventum Procerum Lotharius Imperator, atque redarguit Leonem initi cum Conſtantinopolitano conſilii de Occidentis Imperio in illum transferendo De quo tamen Imperatori ſatiſfecit egregie, ſumto ſupplicio de ejuſce machinationis reis, idque actorum Leonis poſtremum.*

Martyrol. R. Marian. Scot.

Anaſtaſius *qui Bibliothecarius fuit.* Platina.

Haec autem una liquidiſſime demonſtrant, obiiſſe Leonem IV. *d.* 16 *Julii anno* 854. *Tempus ergo exactum inter utrumque Chara-*

LUDOVICUS III. *ſterem 16. ſc. Julii 854 et 24. Aprilis 858 eſt annorum 3. menſium 9 dierum 8. Ex quibus cum attribuant plerique omnes Benedicto* III. *annos duos cum dimidio (nulla niſi paucorum dierum diſcrepantia, vel ideo facile negligenda), ejus initium ordiri conſentaneum eſt a die 24. Oct. 855. ad quem adeo a die 16. Iulii 854. effluxere annus* 1. *menſes.* 3. *dies* 8. *eoque ſpatio vel ſedem vacuam fuiſſe oportet, vel a tertio occupatam. Vacuam omni illo tempore aſſerit nemo, occupatam plurimi, et quidem a Iohanne* VIII. *de quo B. Mantuanus Carmelita Ordinis ſui princeps, in Alphonſo*:

——— ſexum mentita virilem
Femina, cui triplici phrygiam diademate mithram
Extollebat apex, et pontificalis adulter.

Hanc tamen, ob probroſam infamiam et pudendum errorem, numero Pontificum exemtam, ejuſque acta omnia irrita, caſſa, nulla eſſe voluerunt. Quae cauſa, quod Ludovicus II. *hoc tempore factus Imperator, denuo coronari amaverit ab Adriano* II. *quem primum inter Pontifices, Iohannem ſecutos, amicum expertus eſt. Sed et Iohannes* XXI. *recte edoctus, hominum quidem rerumque geſtarum memoriam perfacile aevo excidere, ſed ut temporis articulo, quo res geſtae, idem accidat, ratione nulla fieri poſſe, Iohannem* VIII. *ſuo loco repoſitum voluit, ſeque non* XX. *ſed* XXI. *appellari et inſcribi juſſit: licet ejuſdem*

1760

Ad pag. 177

A. R. ☧

A KALENDIS Januarii.

Domin.

LLA

es, et res omnes,

mitant.

846

855 Imperator ſalutatur et coro-

ntum Ticini d. 4. Febr. Ind 3.

F 1. dies poſt ingreſſum in Pru-

ycli ☽ 1⅝

a moritur.

r, anno 2½. ante electionem

856

ED

857 ndict. 5.

C ſterio privilegium largitur.

858 ☉. 24. Aprilis, Ind. 6.

E

dem nominis proxime anterior XIX. *tantum dictus fuerit, et ita ſurſum reliqui* XVIII. XVII. XVI. *etc.* LUDOVICUS III.

Utraque Partium haſce ſibi finxit Theſes ex conjectura et credulitate magis, quam ex certa ratione.

AFFIRMANTES:

Leo IV. et Joannes VIII. elect.	854. 11 Aug.		
Joannes VIII. X. Bened. elect.	856 29 Sept.		2-1-29
Bened. III. Nicol. elect.	859. 24 Apr		2-6-25
			4-8-24

Et haec ex meris conjecturis, quod enim Leonis mortem conjecerint in annum 854. *non Characteris auctoritate, ſed proprio motu fecerunt.*

NEGANTES.

Leo IV. Bened. III. el. ——	855, 16 Jul.	-2-13
Ab el. Bened. ad conſecr. —	29 Sept.	
A conſecrato ad mortem —	858. 8 Apr.	2-6-10
A morte ad conſecr. Nicolai ——	24 Apr.	- -15
		2-9- 8

Et haec ex vaferrimo fallendi artifice, qui vitas aliquot ſequentium Pontificum Anaſtaſio affuit.

LUDOVICUS III. ſtrum relegavit, ac tandem accepto lytro 40000. ducatorum dimiſit.

Finito CONCILIO in BOHEMIAM profectus eſt adverſus tumultuantes HUSSITAS: auxilia miſit MAGISTRO (o) TEUTONICO in PRUSSIA contra POLONOS, et REGI ANGLORUM contra GALLOS.

IPSE bellum geſſit cum vicino ſuo BERNHARDO MARCHIONE BADENSI.

Poſtremo anno MCCCCXXVI. ſuperſtitione motus, more *Principum* illius temporis, votivam peregrinationem ſuſcepit HIEROSOLYMAM, difficili ac periculoſo itinere: quo et viſus ejus debilitatus, et valetudo fracta fuit. Cumque *barbam* ex eo tondere nollet, BARBATI nomen accepit.

Senex demum dedidit ſe diſcendis literis Latinis. Nam dolebat, quod cum *exteris Principibus* conferre ſermones nequiviſſet. Sed linguae in juventa tantum diſcuntur.

Deceſſit anno MCCCCXXXVI. die XXIX. Decembr. Sepultus HEIDELBERGAE in aede SPIRITUS SANCTI.

PRIMA ejus UXOR fuit BLANCA, HENRICI IV. ANGLIAE REGIS filia,

(o) *Vid.* R. HOSPINIANUS de Monachis. *p.* 339, *etc.*

lia, ex qua filium genuit RUPERTUM, tribus menſibus ante mortuum, quam ipſe adiret HIEROSOLYMAM. LUDOVICUS III.

Mater BLANCA, jam anno (p) MCCCCIX. in vivis eſſe deſierat; conditaque in ſacrario templi NEOSTADII.

ALTERA UXOR fuit MECHTILDIS (q) DUX SABAUDIAE, quae edidit filios tres, LUDOVICUM, FRIDERICUM, et RUPERTUM *Antiſtitem Colonienſem*, et obiit GERMERSHEMII biennio poſt fata mariti, juxta quem quieſcit.

LU-

(p) *Referunt alii, illum cum* BLANCA *anno* 1401. *nuptias celebraſſe, ac per* 18. *annos cum illo in matrimonio vixiſſe. Quod ſi veritati conſentiat, illa non* 1409. verum 1419. obiit.

(q) *Quae* LUDOVICI Ducis Sabaudiae filia *erat*.

LUDOVICUS IV.

PLACIDUS.

Ludovicus IV.

Ludovicus cognomento Placidus ſive Mansuetus (r), erat maximus natu inter filios Ludovici Barbati, admodum *juvenis* cum moreretur *pater*, eoque nec *Electoratui* neque *gubernationi* idoneus. Quamobrem Palatinatum *Electoralem* tutoris titulo adminiſtravit *patruus* Otto Mosbacensis ad annum uſque Christi mccccxlii. et diem Matthaeo ſacrum, quo cedens *nepoti* gubernatione abiit.

Sed is non diu, nec ultra annum aetatis xxv. ſuperfuit.

Illo ipſo anno, quo defunctus eſt, recenſeri juſſit *ſyngraphas* omnes, ac *tabulas cenſuales*, dominia ſua haereditaria ſpectantes. Si quid iis contineretur injustum aut iniquum, id induci et corrigi voluit. Dicens: *malle ſe inopem vivere, quam injuſtis opibus gravatum.*

Utique dignus, qui vel Methusalemi aetatem attingeret. Sed Deo aliter viſum fuit.

Coepit aegrotare Wormatiae: quo evo-

(r) *Dictus etiam* Junior *ac* Virtuosus.

evocavit fratrem FRIDERICUM, commendata ei cura filioli ſui PHILIPPI, infantis anniculi, quem ſuſceperat ex MARGARETHA, AMADAEI (s) I. DUCIS SABAUDIAE (qui poſtea CONCILIO (t) BASILEENSI *Pontifex* renunciatus, et FELIX dictus eſt) FILIA, nupta ante LUDOVICO SICILIAE REGI. LUDOVICUS. IV.

Deceſſit quoque WORMATIAE anno MCCCCXLIX. die XIII. Auguſti. Inde HEIDELBERGAM tranſlatus, et eodem cum patre monumento conditus cum ingenti luctu omnium bonorum, quotquot eum noverant.

(s) Hicce *Amadaeus* nominis illius *Octavus* fuit, ac a *Sigiſmundo* A. 1416. *primus Dux Sabaudiae* dictus. Dein Monachus, poſtea FELIX V. Antipapa, et Pontificatum tradidit NICOLAO V. ac ipſe *Cardinalis* factus tandem *Ripaille* in Sabaudia veluti Eremita cum quibuſdam helluonibus vixit. Unde inter *Gallos* proverbium natum: *Faire Ripaille*, quo denotantur illi, qui cum quibuſdam in ſolitudine hilariter abſque curis vivunt, genioque indulgent. Ab illo AMADAEO Equeſtris Ordo S. MAURITII eſt inſtitutus.

(t) Hiſtoriam Concilii Baſilienſis dedit Cl. JAC. INFANTIUS.

Ludovicus IV

Uxor ejus, vidua juvencula, non minus animi quam corporis dotibus illuſtris, repetitis nuptiis, juncta eſt Ulrico Comiti Wirtenbergensi, cui aliquot filias peperit (v).

Sed hae *nuptiae* cauſa fuere *diſſidiorum* et *bellorum* inter Wirtenbergensem et *Palatinatum*.

FRI-

(v) Illa autem obiit anno 1479.

FRIDERICUS I. VICTORIOSUS.

FRIDERICUS, a proſpera belli fortuna VICTORIOSUS (x) dictus, LUDOVICI BARBATI filius, PLACIDI frater, non *tutorio*, ſed *ſuo nomine* et *Electoratum* iniit, et PALATINATUM gubernavit. FRIDERICUS I.

Nepotem ex fratre, pupillum ſuum, adoptavit in filium, ac haeredem ſcripſit: quod ipſe vitam coelibem agere conſtituiſſet.

Acta haec cum conſenſu ORDINUM Provinciae, atque ipſius etiam Pontificis: licet FRIDERICUS III. Imperator, et quidam Principes Imperii ipſum pro Electore non haberent, perciti invidia magnanimitatis ac fortium factorum ipſius.

Inter quae illud merito glorioſiſſimum cenſetur; quod DIDERICUM ISENBURGICUM, *Epiſcopum Moguntinum*, defendendum ſuſcepit adverſus Pontificis PII II. iniquas et Imperio damnoſas atque intolerabiles machinationes. Quippe IPSIUS confirmandi cauſa *Pontifex* non tantum ingentem pecuniae vim exigebat;

(x) Vel VICTOR.

FRIDERICUS I. ſed etiam, tum IPSI, tum SUFFRAGANEIS ejus onera non ferenda imponere ſtudebat. Et, quod gravius eſt, contendebat a DIDERICO, ne unquam cogeret Septemviros niſi de conſenſu et ſcito ſuo; quo ita Imperium in poteſtate haberet.

Is vero cum maſcule detrectaret obſequium, loco motus eſt, et ſucceſſor ei datus ADOLPHUS NASSOVIUS.

Sed DIDERICUS in cauſa juſta quaeſivit, et impetravit auxilia a FRIDERICO PALATINO. Qui eo ipſo non *Pontificem* modo, ſed etiam *Caeſarem* in ſe concitavit.

Non quod IS cauſam improbaret, ſed quod FRIDERICUM odiſſet ac everſum cuperet.

Ideo programmate publico eum proſcripſit, ac Principes vicinos, MARCHIONEM BADENSEM, hujuſque fratrem EPISCOPUM METENSEM, nec non COMITEM WIRTENBERGENSEM hoſtes ipſi conciliavit: quibus tandem quartus acceſſit, gentilis ipſius, LUDOVICUS, cognomento NIGER.

PRIORES TRES, nam LUDOVICUS tum aberat, exercitum habuerunt 600. *equitum* et 6000. *peditum*: et caſtra metabantur ad BRUSSELAM, oppidum EPISCOPATUS SPIRENSIS, ut PALATINUM ſubjugarent.

Licet vero jam tum ageretur de pace,

continere ſe tamen non poterant, quin injuria aliqua laceſſerent magnanimum Principem, perſuaſi eum ſibi diffiſum latitare. FRIDERICUS I.

Quare accepto ſolo equitatu provinciam ejus invaſerunt; ac rapinis, incendiis, latrociniiſque pervaſtarunt uſque ad NICRUM fluvium, ac pagum vicinum SECKENHEIM, altero infra HEIDELBERGAM lapide.

Sed praeter opinionem occurrit ipſis FRIDERICUS, ducens 1000. equites (e quibus 300. auxiliares Epiſcopus DIDERICUS ſubmiſerat) totidemque pedites retro equis inſidentes.

Adortus hoſtem poſt levem conflictum tres Principes cum equis 500. cepit, et HEIDELBERGAM in triumphum duxit. Ubi annum pene integrum ſub cuſtodia habiti: donec Epiſcopus 8000 floren duo reliqui 100000. ſinguli ſe redimerent.

In loco pugnae hodieque conſpicitur trophaeum, forma crucis, lapideae, ſtructurae, cum inſcriptione Germanica, quam ita reddimus.

ANNO A NATO CHRISTO
MCCCCLXII. DIE S. PAULI,
A FRIDERICO ELECTORE
PALATINO HEIC PROSTRATI SUNT GEORGIUS EPISCOPUS METENSIS, CAROLUS MARCHIO BADENSIS,

ET

FRIDERICUS I.

ET ULRICUS COMES WIRTENBERGENSIS CUM SPECTABILI NUMERO COMITUM, EQUITUM, NOBILIUM, MANIBUS CAESORUM PROPITIUS DOMINUS.

Ab hac victoria menſe Decembri ejusdem anni Epſcopus ADOLPHUS NASSOVIUS, noctu tranſcendens muros urbis, ſubito occupavit MOGUNTIAM, vix ut effugiendi ſpatium daretur veteri Epiſopo.

FRIDERICO etiam pax nulla, nulla quies a vicinis fuit. De quo literis publicis conqueſtus eſt apud Ordines Imperii: ita tamen, ut ſe ſuaque ſtrenue tueretur, ac fines PALATINATUS late proferret.

Prae caeteris acriter ipſum infeſtabat *gentilis* ipſius LUDOVICUS (y) NIGER, Comes VELDENTIAE, et Comites LEININGENSES. Sed majore ſuo, quam FRIDERICI damno.

Etenim ille oppida, caſtellaque plurima par-

(y) LUDWIG *vel* LUDOVICUS *erat filius illius* STEPHANI, *cujus ſupra pag.* 171 *in notis mentionem feci. Matrimonio ipſi juncta fuit* JOHANNA, *Ducis* ANTONII a Croy *filia. Ipſe etiam ſex filios genuit, ac obiit* 1489.

partim vi, partim deditione cepit, ac ubique victricia ſigna circumtulit. Unde ab ERUDITIS VICTORIOSUS, a vulgo hominum FRIDERICUS MALUS cognominatus eſt. FRIDERICUS I.

Semel acri praelio concertavit cum *gentili* ſuo LUDOVICO in planitie camporum ad Tabernas Montanas ANNO MCCCCLXXI. die S. MARCI.

Inde caſtra promovit WACHENHEMIUM cum exercitu 14000. et curribus 700. in munimentum caſtrorum, comitante etiam PHILIPPO filio.

Oppidum corona invaſit et occupavit, deprehenſoſque inibi incendiarios LVIII. aquis demerſit.

Hinc perrexit TURCKHEMIUM, oppidum ea tempeſtate validiſſimum, in quo capti duo COMITES LEININGENSES, PHILIPPUS et DIDERICUS, menſe Auguſto.

Poſt multa congreſſi partis utriuſque conſiliarii MANHEMII pacem fecerunt; potiore FRIDERICI conditione, qui pauca reddidit.

IDEM ad viam montanam PALATINATUI adjunxit urbes vicoſque non paucos, una cum conductus (ceu vocant) publici jure FRANCOFURTUM uſque. DICASTERIUM HEIDELBERGENSE ipſe primus fundavit, ac bono publico aperuit ANNO MCCCCLXII. aſcitis in illud viris *juris juſtitiae*que conſultiſſimis, qui fin-

FRIDERICUS. I. ſingulis trimeſtribus jus dicerent.

In aditu Sylvae LORSCHANAE, tertio ab HEIDELBERGA lapide WORMATIAM verſus, arcem excitavit in ſui monumentum, eamque de nomine ſuo FRIDERICOBURGUM appellavit. Nunc, abolito veteri nomine, ARX NOVA dicitur.

Unum eſt, quod in narratione rerum ipſius praeterire non licet. Nimirum, intercedebat FRIDERICO magna familiaritas cum CAROLO BURGUNDO, qui etiam miſit ipſi auxilia, cum fratrem RUPERTUM *Epiſcopum* COLONIENSEM, a *Clero* abdicatum, reſtituere (licet fruſtra) conaretur. Hic donarat ei *chlamydem* pretioſam, ſed deformem, quam ſe geſtaturum promiſit: ſicut *Magnates* quandoque aliorum in gratiam delirant. Erat enim *chlamys* illa adeo curta, pro more *Burgundorum*, ut nec femora nec pudenda contegeret. Quod antiquae ſeveritatis Principi parum decorum videbatur. Quare pudendis potiſſimum occulendis latam peram de cingulo appendit. Et ne forte (uti fieri (z) ſolet) AULICI id imitarentur, Mo-

(z) *Notum eſt* Aulicos *plerumque* ſimiis *ſimiles eſſe. Potius vitia, quam virtutes imitantur Principum. Si claudicat, balbutit* etc. *illi et claudicant balbutiunt*que. *Exempla vide in* PHILIP. CAMERARII *Oper. He-*

Morionem (a) ſuum ſimili habitu induit. Qui quod pera careret, virilia utraque manu tegebat. Fri-deri-cus I.

Habuit Fridericus in aula ſua plurimos inſignes doctrina ac prudentia viros. Fi-

Horar. Subſecivar. Centur. I. *Cap.* 66. *p.* 295 *et ſeqq. Aſſentatorum mores ſequuntur, prout Gnatho, quem* Terentius *in Eunucho inducit Act.* 2. *Scen.* 2. *Plura qui velit, is legat* Nebulonem Nebulonum, *hoc eſt, Jocoſeriam Nequitiae Cenſuram, rythmis Germanicis primum, ac dein carmine Iambico dimetro Latine editam a* Joanne Flitnero, *Anno* 1619. *et dein* Francofurti ad Moenum 1663. *in* 8. *Obiter hic monere debeo*: Petrum Baardt, *M. D. materiam et annotationes ſuas ex* Flitneri *dicto libello deſumſiſſe, ac in ſuo libello, cui titulus* Deugden Spoor, *vel* Nebulo Nebulonum, *illo non nominato, anno* 1643. (1645 *autem prodiit in* 8.) *mundo obtuliſſe. Erat* P. Baardt *ingenii ſatis feſtivi, uti ex aliis, quae edidit, et hoc ipſo apparet. Male tamen egit, quod, omnia ſilentio involvens, ſe plagii reum publice oſtenderit, licet carmen et quaedam alia ſibi vindicare poſſet.*

(a) *Miror, cum tot exſtent* micrologiae literariae *Scriptores, neminem adhuc ex inſtituto de* Morionibus Aulicis *egiſſe, quibus varii Principes admodum delectati fuere.*

Si

Fridericus I. Filios quoque ſuos, quos ex *concubina Clara* (alii conjugem fuiſſe ajunt) ſuſceperat, Fridericum et Ludovicum diligentiſſime in literis ac moribus inſtituendos curavit. Qui patrem ex bello

Si Judaeis, ut nugivendis, credere velimus, jam Salomon *morionem habuiſſet qui non ſolum regis graviores curas, aut convivia ſalibus et facetiis temperare ſolitus erat; verum qui omnia aenigmata* Reginae *promptiſſime ſolviſſet. Nomen hujus ſapientis ſi deſideras?* Marcolphus *vocabatur. Unde eſt, quod noſtri homines, cum ſtolidum deſignare velint, dicant,* Malcolphus *eſt. Inde et forſan etiam* Malle Kalf, *quo quidem non plane ſtultum, ſed ineptum, petulantem, vel etiam bonum hominem intelligunt. Recte tamen Cl* Wilhelmus Schickardus *in elegantiſſimo libro de* Jure Hebraeorum Regio *Cap.* 3. *Theor* 8. *pagg.* 168, 169. *ea, quae de* Marcolpho *narrantur, fabulis annumerat; cum quo facit in Notis Doctiſſ.* Jo. Benedictus Carpzovius. *Nam ille mos recentior videtur. Neque iſtiuſmodi ſcurris ſolum delectati ſunt* Aurelianus *et* Gallienus *aliique, verum quod miraberis! ipſi Pontifices Romani. Nam de* Pio II. *et* Hadriano VI. *tale quid Hiſtorici referunt. Imo fuere, qui eos effingi curabant. Sic in praetorio vel arce* Nyenoort *in introitu ad dextram in ipſo*

lo reducem Latina Oratione exceperunt.

Natu major FRIDERICUS Canonicus WORMATIENSIS ac SPIRENSIS, *minor* Comes LODWENSTEINENSIS factus eſt. FRIDERICUS I.

Pater *natus* anno MCCCCXXV. Kalend. Auguſti *denatus* fuit pridie Idus Decembris anno MCCCCLXXVI. et HEIDELBERGAE in aede *Franciſcanorum* magnifico tumulo conditus.

N EPI-

ipſo pariete e lapide conſpicitur imago morionis Domini De Eewſum. *Hodie in potentiorum aedibus veſtitu diſcriminati raro conſpiciuntur, caeteroquin non plane exulant. In pretio ſane ſunt inprimis talibus, qui niſi opibus vel muneribus ad illud faſtigium evecti, jamdudum ipſi illi ordini a cordatis adſcripti fuiſſent. Apud quos etiam variis gaudent immunitatibus, praeſertim ſi, ut diaboli, alios lacerare noverint. Lege Epiſtolam de miſeria Curatorum ſeu* Plebanorum, *quae edita eſt Wittembergae* 1540. *cum* Praefatione *Magni* MARTINI LUTHERI, *ubi quidem reperies, qui Morionum inſiſtunt veſtigiis. Claudam hanc adnotationem verbis Doctiſ.* SCHICKARDI: morem illum alendi moriones non omni periculo carere (*licet ſint vere, vel ita dicti ſtulti*), quoniam naturalibus ſtultis plerumque malignitas quaedam agnata, quam tunc edunt ſaepe, cum minime timeatur (Sic BOLISLAUS II. *Monſterbengenſis* Prin-

FRIDERICUS I.

EPITAPHIUM

ita habet:

FRIDERICUS, BAVARIAE
DUX,
COMES RHENI PALATINUS,
Sacri Romani Imperii Elector.

Princeps Sileſius, a morione ſuo, quem ad iram provocaverat, in arce Bolkenhano jactu lateris occiſus eſt. Quale quidſupra pag. 148. LUDOVICO I. *accidiſſe vidimus, qui a Stichio morione, quem per ludum inceſſebat (ita quidam referunt, aliter tamen* l. c.), *cultello ſauciatus mox in conſpectu omnium amicorum exanimatus corruit*): imo et aliquid impietatis habere, ſi quis ad ſeveriora natus, ineptiis gaudeat, et ſtultitiam provocando foveat multiplicetque, aut ex aliena miſeria voluptatem quaerat, quam utique honeſtiorem habere poſſet. QUI SAPIT, ille procul ab aulico ſplendore mavult faceſſere, quam aureis hiſce compedibus alligari. PROVERB. 23: 1-3. *Quando comederis cum Dominatore, conſiderando conſidera, quidcoram te ſit: et pone cultrum ad fauces tuas, ſi tui compos es; ne concupiſcas pulmenta ejus ciboſve delicatos.*

PHILIPPUS NOBILIS.

PHILIPPUS naturalis LUDOVICI, (b) adoptivus FRIDERICI filius, natus erat annos XXIX. cum a morte patrui gubernationem capeſſeret. PHILIPPUS NOBILIS.

PRINCEPS *probus*, *ſapiens*, *pacificus*, ac a generoſa indole (c) NOBILIS dictus.

Saepe et libenter conferebat cum viris doctis de hiſtoriis ac rebus geſtis veterum.

Sub finem vitae gravi ac pernicioſo implicitus fuit bello a filio (d) RUPERTO.

Habebat Is in matrimonio FILIAM unicam GEORGII DIVITIS, Ducis BAVARIAE inferioris, et teſtamento ſcriptus eſt haeres ex aſſe.

Sed oppoſuit ſe dux ſuperioris BAVARIAE ALBERTUS MONACHIENSIS: ipſum teſtamentum, tanquam vitioſum, et pugnans cum Conſtitutionibus Imperii, Pactiſque familiae rejecit; et opem Caeſaris MAXIMILIANI, affinis ſui, imploravit. N 2 Is

(b) *Nimirum* LUDOVCI IV. filius. *Videatur ſupra pag*. 180, 181.

(c) *Ab aliis* INGENUUS *eſt dictus*.

d) *Alias* RUPRECHT, *qui natus fuit anno* 1481. *ac obiit* 1504.

PHILIPPUS NOBILIS.

IS arbitrum ſe interpoſuit componendae controverſiae.

Cum vero nec PHILIPPUS, nec filius ejus RUPERTUS acquieſcerent aequis conditionibus, utrumque proſcripſit.

Arma in (e) eos ſumſerunt ipſe CAESAR, Foederati *Sweviae*, HASSUS, WURTENBURGICUS, COMITES LEININGENSES, nec non *gentilis* ipſorum Dux ALEXANDER VELDENTIUS.

Aliquandiu fortiter vim vi repellentes reſtiterunt: at in fine ſuccubuerunt, cum maxima jactura rei PALATINAE.

Filius RUPERTUS in ipſo bello deceſſit: nec multo poſt fata mariti uxor ſecuta eſt.

Sunt qui ambos veneno ſublatos memorant.

Pater PHILIPPUS reſtitutus eſt in gratiam Caeſaris opera FRIDERICI Electoris SAXONIAE. Vix-

(e) GEORG. SOHNIUS *l. c. p.* 21. *circa finem enumerat diſtinctius illos, qui* PHILIPPUM *filiumque ejus adorti ſunt; cum tradat anno* 1504. *illi a Ducibus* BAVARIAE ALBERTO *et* WOLFGANGO, *a* FRIDERICO *Marchione Brandenburgenſi et ejus filiis, a* DUCE *Wirtenbergenſi, a* WILHELMO *Haſſiae Landgravio, ab* ALEXANDRO *Comite Palatino, a Duce Brunſvicenſi et multis Comitibus ac Nobilibus, et a civitate Noribergenſi bellum denunciatum.*

Vixit a bello Bavarico annos IV. **Philippus Nobilis.**

Obiit (f) ex podagra et calculo anno mcccccviii. die (g) 28. Febr. anno aetatis lx.

Sepultus eſt Heidelbergae (h) cum conjuge (i) Margaretha, Ludovici (k) Bavariae Ducis filia, ex qua (l) *ſeptem* filios, filias *tres* ſuſcepit

(f) *Natus fuit anno* 1448. *die* 14. *Julii.*

(g) *Alii die* 27. *Febr.* 1508.

(h) *In templo* Spiritus Sanɛti.

(i) *Illa obiit ante maritum, nimirum anno* 1501.

(k) *Qui* Dives *cognominabatur.*

(l) *Non* ſeptem, *ſed* octo *ex illa genuit filios.* i. *eſt* Ludovicus, *de quo mox.* ii. Philippus, *Epiſcopus Freiſingenſis, ac obiit anno* 1541. iii. *eſt* Rupertus, *de quo vidimus.* iv. *eſt* Fridericus, *de quo deinceps* Auctor *noſter* Nobiliss. *agit.* v. Georgius, *Epiſcopus Spirenſis, natus* 1486. *denatus* 1529. vi. Henricus, *Epiſcopus Ultrajectinus, natus* 1487. *obiit* 1524. vii. Johannes, *natus* 7. *Maji.* 1488. *Epiſcopus Ratisbonenſis.* viii. *eſt* Wolfgangus, *natus* 1494. *deceſſit* 1557. *ſine liberis. Fuit hic* Oecolampadii *diſcipulus, Princeps pius et doctus, ſorte privata per omnem vitam contentus, qui et cum fratribus et cum nepo-*

Philippus Nobilis.

Ludovicus et Fridericus ex ordine Electores facti ſunt; Rupertus fata patris antevertit. Caeteri partim Epiſcopi, partim Canonici creati fuere. Fi-

te Otthone Henrico *conjunctiſſime vixit. De quo addere placet, ut notatu dignum, quod de eo refert Doctiſſ.* Henricus Altingius in Hiſtoria de Eccleſiis Palatinis *pag.* 56 *cura Cl.* Adami Mensonis Isink *Groningae* 1728. *edita, quae Editionem Cl.* Miegii *et* Nebelii in Monumentis Literariis Palatinis ſuperat. *Nimirum hortabantur eum fratres „ ut ducta uxore liberos procrearet, quibus ipſi aetate „ grandiores carebant, idque ad propagan„ dam familiam, et decus Electorale in ea „ conſervandum. Reſpondit id fruſtra eſſe; „ quod poſteritas Palatina in quartam gene„ rationem abavi ſui Ludovici, Coeci et „ Barbati, Electoris Palatini peccatum or„ bitate, juſto Dei judicio, lueret. Fuerat „ is ſub Sigiſmundo Imperatore Vicarius Im„ perii ſimulque protector et exſecutor Con„ cilii Conſtantienſis. In quo, cum Johannes „ Huſſus contra fidem datam, aſſidente Caeſa„ re, haereſeos damnaretur et igni addiceretur „ (factum ſexto Julii* 1415.), *exſecutio „ mandata fuit Ludovico Vicario, qui per „ Mareſchallum ſuum eum tradendum cu„ ravit carnifici. Comitatus eum fuit ad „ locum uſque ſupplicii, a fide eum abducere*

„ co-

Filiae nupſerunt Principibus Imperii. Prima HESSO. Secunda POMERANO. Tertia MEKELENBURGENSI.

PHILIPPUS NOBILIS.

N 4 LU-

„ *conatus eſt: et cum forte pallium, cingulum,* „ *et alia Huſſi ſervata eſſent, juſſit eodem* „ *igne illa cremari, ne, ceu martyris alicujus* „ *reliquiae, aſſervarentur. Hoc facinus avitum ipſe pie cenſebat cauſa eſſe deficientis* „ *familiae Palatinae, quae per ſeſquiſeculum* „ *axiomate Electorali gaviſa fuerat, et ad* „ *diuturnitatem octo filiis Philippi Electoris* „ *praeclare ſtabilita videbatur* „. Haec Cl. ALTINGIUS.

LU-

LUDOVICUS V. PACIFICUS.

Ludovicus V. Pacificus.

LUDOVICUS, primogenitus PHILIPPI, anno aetatis triceſimo iniit gubernationem.

Vulgo VICARIUS appellatur: quod vice ſacra adminiſtravit imperium, inde ab exceſſu MAXIMILIANI Caeſaris uſque ad initia CAROLI V.

Praetera etiam PACIFICUS cognominatur: quod ipſius potiſſimum opera effectum eſt, ne principio bellum exardeſceret in GERMANIA religionis cauſa.

WORMATIAE quoque anno MDCCCCCXXI. magna contentione iis adverſatus eſt, qui vociferabantur, LUTHERO *ſervandam non eſſe* (m) *fidem publicam*: dictitans (n) non id decere candorem Germanum, et necdum excidiſſe animis, quae CONSTANTIAE HUSSO facta eſſent.

Anno MCCCCCXXX. AUGUSTAE (o) in magnis illis Imperii Comitiis, prae caeteris id

(m) *Vid. Cl.* HENRICI ALTINGII *Hiſtor. de Eccleſiis Palatinis*, *c.* 17. *p.* 31.

(n) *Ita Aulae Romanae mancipia, et cum iis Jeſuitae, publice docent*: haereticis non eſſe habendam fidem.

id operam dedit ſedulo, ne diſſidium religionis in nervum erumperet.

LUDOVICUS V. PACIFICUS.

Cum nomine *Caeſaris et Pontificiorum* EVANGELICIS reſponderet JOACHIMUS Elector Brandenburgicus, et ſub finem graves minas adderet: *niſi monitis ſuis locum darent, fore, ut omnes ordines Catholici auxilia ferrent Caeſari cogendis ipſis ad obſequium*: LUDOVICUS, et cum eo ALBERTUS MOGUNTINUS, *Brandenburgici* frater, teſtati ſunt: *injuſſu ſuo id dictum eſſe; ſe ſpondere ipſis omnem benevolentiam atque amicitiam.*

Idem LUDOVICUS in tumultu (p) Ruſticorum anno 1525. ſummo ſtudio id egit, ut omnis controverſia ſine ſanguine componeretur.

Quin etiam, ut ſua praeſenti auctoritate moveret *ruſticos*, aliquoties ad eos ſe contulit, nec ſine diſcrimine ſe fidei ipſorum commiſit.

Cum vero aequis conditionibus locum darent nullum, re jam ad extrema reda-

(o) *Doctiſſ.* ALTINGIUS *l. c. more ſuo haec accurate, ac latius enarrat.*

(p) *Vid. Cl.* ALTINGIUS *l. c. ubi et* ruſticorum *duodecim articulos, ac αὐτήματα recenſet, p.* 33, 34. *et* JACOB. PERIZONII *Commentarii rerum geſtarum ſaeculo ſexto decimo, p.* 138. *et* ſeqq.

LUDOVICUS V. PACIFICUS.

ſta, ſeveriorem ſumſit perſonam, nec deeſſe ſibi uſum armorum reapſe oſtendit: quod prae caeteris WEISENBURGENSES magno ſuo malo experti ſunt.

Semper benigne habuerat, leniterque tractarat ſuos ſubditos.

Et tum quoque graviter dolebat vicem eorum, inprimis cum ad PHEDERSHEMIUM prope WORMATIAM equites immaniter ſaevirent in plebem ruſticam, eamque haud aliter quam gregem ovium mactarent.

Sed inhibere impetum non potuit: quod ipſe EPISCOPUS TREVIRENSIS ordines duceret, ſuiſque ſaevitiae exemplo praeiret.

Pietatis LUDOVICI illuſtre documentum eſt, quod HEIDELBERGAM ex bello redux poſtridie cum ſplendido comitatu Comitum, Equitum ac Nobilium ſacra adiit, ac celebravit in templo SPIRITUS SANCTI, actis Deo gratiis pro coeleſti auxilio in reſtinguendo tam periculoſo incendio.

Neque enim ludus aut jocus fuit ille *ruſticorum* tumultus. Niſi enim coërciti fuiſſent a Principibus, totam GERMANIAM horrenda vaſtitate compleviſſent.

Deceſſit LUDOVICUS anno MDXLIV. die XVI. Martii; HEIDELBERGAE in monumentis majorum ſuorum poſitus cum uxore SIBYLLA, ALBERTI BAVARI filia Liberos nullos reliquerunt.

FRI-

FRIDERICUS II. SENEX.

Fridericus fratri Ludovico ſucceſſit in Electoratu favore Caeſaris Caroli V. alioquin, opinione multorum, ſucceſſio debebatur Otthoni Henrico Ruperti fratris ſenioris filio, qui non aliam ob cauſam excluſus fuit, quam quod Augustanae Confessioni addictus eſſet. Fridericus II. Senex.

Fuit autem Fridericus Princeps eloquens, ac rerum gerendarum peritus.

Anno MDXIX. ab Electoribus ablegatus eſt in Hispaniam, nunciatum Carolo Regi electionem ipſius in Imperatorem. Qui deinceps ejus opera crebro uſus eſt in Comitiis et Legationibus.

Ab Imperio dux belli creatus eſt contra Turcam anno MDXXIX. cum is Viennam obſideret, quam fortiter propugnabat Philippus Palatinus, Friderici ex fratre nepos.

Carolus *Caeſar* uxorem ei dedit (q) neptem ſuam Dorotheam, additis promiſſis de vindicando regno Daniae: un-

(q) *Quae erat* Christierni, *Regis Daniae filia, ac obiit illa anno* 1580.

FRIDERICUS II. SENEX. unde CHRISTIERNUS ſocer a ſubditis pulſus fuerat. Sed promiſſis fides defuit.

Anno MDXLVI. 10. die Januarii (q) MISSAM abrogavit, et WURTENBERGICO Principi foederato bello PROTESTANTIUM auxilia miſit, non citra offenſam *Caeſaris*. Biennio poſt in gratiam *Caeſaris* admiſit Formulam Religionis, quam (r) INTERIM vocant. Pacis per Germaniam ſtabiliendae conſilia multum juvit: nec cauſae Euangelicorum defuit.

Mor-

(r) *De initiis et progreſſu Reformationis in* PALATINATU *egregie, uti ſolet, agit* H. ALTINGIUS *libr. cit.*

(s) *Artifices hujus famoſi libri, qui poſt fata magni Lutheri prodiit, fuere* JOHANNES AGRICOLA *Iſlebius*, MICHAEL HELDINGUS, *dictus*, Sidonius, *Epiſcopus Merſeburgenſis, et* JULIUS PFLUG, *Epiſcopus Numbergenſis, conſtatque* 26. *capitibus. Editio Latina prodiit Coloniae* 1548. *Dein Germanico, Gallico et Italico editus ſermone. Scopum, ac rationem tituli Inſcriptio ipſius libelli indicat, quaeque his verbis proditur*: INTERIM, *hoc eſt*, Conſtitutio, praeſcribens, qua ratione Sacro Sancti Imperii Romani Status in negotio Religionis uſque ad deciſionem Concilii Tridentini ſe mutuo gerere, ac excipere debeant. *Liber hic neque Pontificiis placuit, multo minus Proteſtantibus.*

Mortuus eſt Anno CHRISTI MDLVI. aetatis ſuae LXXIV. Febr. 26. ALTZEAE. Inhumatus Heidelbergae una cum uxore, ex qua liberos non habuit. FRIDERICUS II. SENEX.

Minimus fratrum ipſius erat WOLFGANGUS, Princeps literatus, qui rectúram Academiae geſſit WITTENBERGAE anno MDLII. Is coelebs vixit apud fratrem, qui ſaepe ipſum hortatus eſt, ut nuptiis animum applicaret, et liberis daret ope-

bus. Vid. JOH. SLEIDANI *Commentar. de Statu Relig. l.* 21. *p.* 620. 625. 640. *et* 658. PETRI SUAVIS POLANI, *id eſt*, PAULI SARPII, *Hiſtoria Concilii Tridentini l.* 3. *p.* 334-343. JAC. PERIZONIUS *l. c p.* 390-396. *E Pontificiis hunc librum oppugnarunt* ROBERTUS CENALIS, *Epiſcopus Abrincenſis, et* FRANCISCUS ROMAEUS, *Ordinis Dominicani Generalis. E. Noſtris in primis Doctiſſ. et Celeb.* J. CALVINUS, *qui* INTERIM Germanorum *cum animadverſionibus edidit* 1549. *Nec defuere* LUTHERANI, *inter quos tamen exinde grave diſſidium, et bellum Adiaphoriſticum natum. Caeterum* Formula *haec, quae* κατ' ἐξοχὴν INTERIM, *itemque* Interim Auguſtanum *adpellitatur, non ſolum facetis dictis, libelliſque famoſis petebatur; verum etiam cuſi nummi, Imperialis valoris, ubi ab una parte conſpicitur* CHRISTUS,

FRIDERICUS II. SENEX. operam. Sed reſpondit, id fruſtra fore: nullam ſibi ſpem eſſe conſervandae ac propagandae familiae ſuae: propterea quod progenitor ſuus LUDOVICUS BARBATUS, CONSTANTIAE adjutor fuiſſet ſupplicii JOHANNIS HUSSI, eoque gravem Dei iram incurriſſet.

Obiit HEIDELBERGAE, ſecutus fata fratris FRIDERICI, nepotis OTTHONIS HENRICI anticipans.

Ibi-

STUS, *cui opponitur aliquis forma Angeli, Pontificis, Stulti, Satanae, quique ſub forma draconis ſtellas trahit. In margine haec eſt inſcriptio*: PACKE DI SATAN DU INTERIM. *Ab altera parte eſt* Baptiſmus Chriſti. *Et in margine legitur*: DIT. IS. MIN. LEVE. SON. DEN. S. GI. HO. *id eſt*, Hic eſt filius meus dilectus, quem audietis. *Nummus hic eſt oppido rarus, ac ſemel tantummodo a me viſus. Qui plura de hoc* INTERIM *ſcire aveat, adeat Cl.* I. FR. BUDDEUM *in Iſagoge Hiſtor. Theolog. ad Univerſ. Theolog. ſingulaſque ejus partes p.* 487-490. *et p.* 1201. *etc. Elegantem ſane hujus libelli* notitiam *nuperrime dedit Doctiſſ.* G. OUDHOF *in* Vitis Clarorum et Doctorum Virorum, *quae Belgice prodeunt Amſtelodami, Parte* 5. *Num.* 1. *pag.* 83-143. *ubi etiam hiſtoriam motuum inde in Germania et Friſia Orienta-*

li

Ibidem etiam ſepultus eſt in aede SPIRITUS SANCTI. FRIDERICUS II. SENEX.

O T-

li ortorum, cum Carolus V. urgeret, ut omnes illi Formulae ſubſcriberent, eandemque admitterent, erudite tradit.

OTTHO

exegit. Nam anno MDLIX in vivis (t) eſſe deſiit, cum annum aetatis LVII. nondum compleviſſet. Ot-tho-Hen-ricus.

Conditus eſt Heidelbergae in ſacrario ad *Spiritum Sanctum* monumento ſplendido et vere regio.

Vixit in matrimonio ipſius (v) Susanna filia Alberti, ducis ſuperioris Bavariae: quae primis nuptiis juncta fuit Casimiro, Marchioni Brandenburgico.

Sed ſterile fuit matrimonium.

Sic ergo tota Ludovici *Barbati* proſapia defecit in Otthone Henrico. Nam et frater ipſius (x) Philippus coelebs obierat anno MDXLVIII. Eſt autem is, qui Viennam anno MDXXIX. propugnavit contra *Turcas*, eoſdemque plus vicies magno furore urbem aggredientes majore virtute repulit, et accepta ingenti clade, 80000. circiter, diſcedere coëgit.

Supra diximus Rupertum *Caeſarem* ex Elisabetha Burggravia ſuſcepiſſe filios ſex. Duo praematura morte extincti ſunt. Quatuor moriens reliquit ſibi ſuperſtites. Ex quibus natu major Lu-

(t) *Natus fuit anno* 1502. *Electoratum adiit anno* 1556

(v) *Quae obiit* 1543.

(x) *Is natus fuit* 1503. *ac* Bellicosus *dictus eſt*.

OTTHO HENRICUS.

DOVICUS Electoratum obtinuit, ac propagavit continua posterorum ſuorum ſucceſſione ad OTTHONEM uſque HENRICUM. E tribus minoribus filiis erat STEPHANUS, qui uxorem duxit filiam ultimi Comitis VELDENTIAE et totam ejus ditionem in dotem accepit. Ex hujus matrimonio duos filios ſuſtulit, FRIDERICUM *Sponhemiae Simmeraeque* et LUDOVICUM *Veldentiae* Comites.

FRIDERICI filius fuit JOHANNES ſenior: nepos autem JOHANNES junior, qui vixit ſuperiori ſeculo, prudens ac ſpectatus Princeps Imperii, charus CAROLO V. *Caeſari*, juſtitiaeque magnus patronus: qui Praeſidem *Camerae Spirenſis* aliquandiu egit. Ad hunc citra controverſiam devolutus fuiſſet Electoratus, ſiquidem, quod per aetatem poterat, OTTHONI HENRICO ſuperſtes fuiſſet. Erat enim gradu proximus a communi ſtipite RUPERTI Regis, atque inſuper ex primogenito Ducis *Stephani Friderico* oriundus. Quamobrem anno MDLIII., vivente adhuc Electore FRIDERICO II.; ita tranſactum fuit inter Palatinos agnatos, ut Electoratus poſteritati ejus cederet, ſive ſupereſſet ipſe, ſive non.

Atque hoc titulo OTTHONI HENRICO in Electoratu filius ipſius FRIDERICUS ſucceſſit.

FRI-

FRIDERICUS III. PIUS.

FRIDERICUS III. ejus nominis Elector Palatinus, natus eſt SIMMERAE anno CHRISTI MDXV. poſtridie Iduum Februarii, patre JOHANNE *juniore*, matre BEATRICE MARCHIONE BADENSI. FRIDERICUS III. PIUS.

Indolem felicem et ad virtutem factam etiam prima aetate oſtendit. Cui tamen multum acceſſit ab educationis cura.

Artes neceſſarias Principi non magno labore didicit.

Uſu magis quam praeceptis doctus.

Linguam Latinam mediocriter calluit: *Gallica* promtus, cultuſque fuit.

Poſtquam exceſſit ex ephebis, migravit in aulas (y) vicinorum Principum, LOTHA-

(y) *De illo vere itaque dici poteſt, quod* EUSEBIUS *de* CONSTANTINO MAGNO *ſcribit*: eum *nimirum in tyrannorum aedibus ut et* Moſen *in Aegypto educatum: et Deum interea utriuſque opera poſtea uſum ad tyrannos puniendos.*

FRIDERICUS III. PIUS.

THARINGICAM, *Leodienſem*, et *Belgicam* CAROLI V. Caeſaris.

In quibus ad capienda experimenta aulicae prudentiae aliquot annos exegit.

Inde adſcriptus in militiam HUNGARICAM, non modo tyrocinia poſuit, ſed etiam ordines duxit. VEXILLIFER IMPERII ad BUDAM multa praeclare geſſit, nec ſine elogio ad ſuos rediit.

Erat jam ea aetate, quae fixum ac ſtabile vitae genus deſiderabat. Igitur ad nuptias adjiciens animum uxorem ſibi ſociavit MARIAM CASIMIRI *Marchionis Brandeburgici* filiam, Euangelicae profeſſionis Principem.

Felices certe nuptiae! quae ipſi, Papanis ſuperſtitionibus hactenus irretito, facem praetulerunt ad agnoſcendam veritatem, quam CULMBACI primum, dein AMBERGAE palam profeſſus eſt.

Acceſſere tamen alia duo ſive adjumenta ſive incitamenta, quae ipſum vera Dei notitia ac *συμπαθεια* erga afflictos imbuerunt. Quae ipſummet ſubinde referre non puduit.

Unum, *res anguſta domi*: quae ſicut ipſi multorum jam liberorum patri gravis accidit; ita magiſtra fuit pietatis colendae, indagandaeque veritatis. Illa ſane conditio et ad diligentiores preces, et ad temperantiam ſtimulus, et fraenum arrogantiae, ejusdemque recordatio modeſtiae per totam vitam magiſter ei fuit.

Al-

Alterum, *vita diſſoluta* ac mores improbi eorum, qui apud Pontificios columnae audiebant Eccleſiae Catholicae, Cardinales puta, ac Epiſcopos, quibus familiaris fuerat. Hinc erat, quod perſuaderi haud poterat, ſanam eſſe illam doctrinam, cujus proprii fructus tam pravi atque exitiales apparerent. Quae res ipſi mature perſuaſit: *Hominem non juſtificari operibus ſuis: et veram eſſe Euangelicorum* (quorum libros attente legebat) *de juſtificatione fidei ſententiam.* Fridericus III. Pius.

Quod ipſum parenti ſuo Illuſtriſſ. Duci Johanni (qui alias per totam vitam Pontificiae religioni addictus fuerat, et paucis ante menſibus, quam Amberga ad Electoratum vocaretur Fridericus, diem ſuum obierat) per Dei gratiam tam commode in ipſo mortis articulo ſuggeſſerat, ut Dux ille Johannes Simmerensis paulo ante mortem profiteretur: *ſe in ſolo* Christi *merito omnem ſpem ſuam collocare*, atque ita in ardentiſſima invocatione nominis Christi vitam feliciter clauderet.

Caeterum Fridericus noſter, quamdiu apud ſocerum vixit, in partem venit regendae provinciae, adeoque Promarchionem Culmbachi egit. Hinc conceſſit in *Palatinatum Bavariae*, Praeſidis titulo ornatus ab Electore agnato, et aulae ſedem Ambergae habuit.

Functus eſt illo munere annos complu-

FRIDERICUS III. PIUS.

res, donec poſt obitum OTTHONIS HENRICI ad capeſſendum Principatum HEIDELBERGAM vocaretur anno CHRISTI MDLIX.

Invenit ibi turbata omnia recenti ſchiſmate, orto ex contrariis opinionibus et concionibus (z) HESHUSII et CLEBITII de Caena Domini.

Re deliberata, conſultiſque cum aliis, tum incomparabili illo viro PHILIPPO MELANCHTONE, cive Palatino, utrumque turbinem exauctoravit, ac pacem tenerae Eccleſiae reddidit: ſed doctrinam de ſpirituali Chriſti praeſentia et manducatione in Coena obtinere, ac in Eccleſia doceri juſſit.

Veritatem quoque illius doctrinae diſputatione publica, praeſentibus generis

(z) TILEMANNUS HESHUSIUS *erat animi turbidus, ſummuſque turbator. Vid.* ADAMI *Vit. Theol. et* HENR. ALTINGII Hiſtor. de Eccleſ. Palatinis p. 63-71. *ubi fuſe enarrat, quae heic breviter dicuntur. Adi, ſi placet, libellum, cui titulus* Victoria Veritatis ac Ruina Papatus Saxonici. *Reſponſio* Wilhelmi Klebitii *neceſſaria, ad argumenta* D. Tilem. Heshuſii. *Pro defenſione juſta* I. *Cauſae Chriſtianae et verae.* II. *Illuſtriſſimi Electoris Palatini.* III. *Philipp. Melanchtonis.* IIII. *Senatus Eccleſiaſtici,* 1561. *in.* 4.

ris Ducibus Saxoniae JOH. FRIDERICO et JOHAN. GULIELMO, per ſuos aſſeruit. Ubi facile deprehendit, adverſam quidem partem, nempe *Thuringicos* Theologos, qui tunc aderant, dicendi quadam facultate, aut potius linguae volubilitate et audacia, eos autem, qui noſtram defendebant ſententiam, ſimplicis veritatis ſolida et ingenua defenſione eſſe ſuperiores. quam noſtram de Coena ſententiam ille ipſe (*a*) Theologus Thuringicus, qui tum ſeſe noſtris opponebat, poſtea amplexus eſt.

FRIDERICUS III. PIUS.

Ab his initiis proceſſit plenior reformatio Eccleſiarum ac Scholarum Palatinarum, in quarum uſum anno MDLXIII. publicavit CATECHESIN purioris (*b*) doctrinae laudatum ſane compendium.

O 4 Cer-

(*a*) *Nim.* JOH. STOSSELIUS. *Colloquium autem illud Theologicum de controverſia Euchariſtica, quod MS. poſſideo, habitum fuit anno.* 1560. *die* 3, 4, 5, 6, *et* 7. *Junii. Vid.* HENR. ALTINGIUS l. c. p. 72, 73, 74, et 75.

(*b*) *De hac Catecheſi, ejuſque Auctoribus, fatis, hoſtibusque heic agere non lubet, dum prolixe ac abunde alii id egerunt, inter quos prae caeteris adeundi* H. ALTINGIUS l. c. p. 81. etc. JOH. D'OUTREINIUS in prolegomenis ad Catechiſmum Heidelbergenſem. *In primis hic legi debet Cl.* HIERO-

FRIDERICUS III. PIUS.

Certamina pro fide varia ſuſtinuit, non ſolum a Theologis male feriatis (quibus voce in (c) Colloquio MAULBRUNNENSI, ſcriptis publice reſponſum); ſed etiam a Principibus inconſiderato fervore huc abreptis.

Anno MDLXI. ad Naumburgicum conventum profectus eſt pius Elector, ubi cum Landgravio PHILIPPO ſeniore, laudatiſſimo Principe, *Flaccianorum* conatus et conſilia, qui diſſentientes a ſe Eccleſias damnare volebant, fregit et diſſipavit, et cum praecipuis Imperii Ordinibus Euangelicis Auguſtanae Confeſſioni recognitae, et a PHILIPPO explicatae ſubſcripſit.

Anno MDLXII. in ſolemnibus illis Imperii Comitiis, FRANCOFURTI AD MOENUM habitis, MAXIMILIANUM Romanorum Regem cum collegis Septemviris elegit; et perfecit, ut in plenis Comitiis illuſtriſſimi Principis CONDAEI, LUDOVICI BORBONII, et *Eccleſiarum Gallicarum* Legati benigne audirentur: quibus poſtea, ſociis LANDGRAVIO Principe et Duce CHRISTOPHORO *Wir-*

RONYMI VAN ALPHEN Oeconomia Catecheſis Palatinae. *qui in praefatione, ut ſolet, accurate et erudite haec tractat.*

(c) *Vid.* H. ALTINGIUS l. c. p. 85. 86.

Wirtembergico ſuppetias tulit. Praelectae enim illis in Comitiis fuerant literae Reginae matris ad Principem CONDAEUM: quibus ejus opem pro ſe et liberis contra hoſtium inſidias et machinationes implorabat. FRIDERICUS III. PIUS.

Multa alia praetereo, in primis Acta (*d*) *Comitiorum Auguſtanorum* anno MDLXVI. quae

O 5

(*d*) *Hiſtoriam machinationum, quibus ipſum de dignitate Electorali deturbare, vel gravius etiam mulctare tunc nonnulli volebant, prolixe ſatis* H. ALTINGIUS l. c. p. 92. etc. *ex MS. quod etiamnum ſervo, recenſet. Cumque* pag 95. etc. *Apologiam ac Electoris reſponſum aeterna memoria dignum iſtis in Comitiis prolatum exhibeat, lubet ſuae Celſitudinis verba formalia ex alio MS. proferre, quae nonnihil ab iis, quae alii tradunt, differunt. Deprompta autem ſunt haec* FRIDERICI III. verba formalia *ex* Cancellaria NASSOVIO-DILLENBURGICA, *et ex vernacula Germanica.* Sic habent.

SERENISSIMI ATQUE INLUSTRISSIMI ELECTORIS PALATINI FRIDERICI III. *feliciſſimae Recordationis excuſatio, ſive, defenſio in Relligionis negotio, quam Sereniſſima ipſius Celſitudo XIV. Martii A. C. MDLXVI. in Comitiis Auguſtanis coram Rom. Caeſarea Majeſtate, praeſentibus S. R. Imperii Electo-

FRIDERICUS III. PIUS.

quae notiora ſunt, quam ut commemorari debeant: auguſtiora etiam, quam ut pau-

ribus, Principibus, Ordinibus, eorundemve Ampliſſimis Legationibus (poſtquam III. *Juris Doctores, qui ad perorandum aliquot menſes ſeſe praeparaverant, eo fine, ut, ſi forſitan unus ex iiſdem obmuteſceret, alter orationem continuaret, et tamen omnes obmutuerant) Electorali ore (cujus* CHRISTUS *in illo noviſſimo die juxta promiſſum ejus Matth.* X: 32. *non obliviſcetur) ſequentibus ferme verbis intrepido animo praeſtitit.*

INVICTISSIME, *Clementiſſime Romanorum* IMPERATOR, *vos* relliqui dilectiſſimi Domini ELECTORES, PRINCIPES, *et* AMICI: *Quum mei Doctores obmuteſcant, bene animadverto, hanc cauſſam non Doctorum, ſed meam eſſe propriam, quocirca mentem meam ipſe, juxta tenuitatem et ſimplicitatem meam, explicare cogor. Rogo igitur, ut Caeſarea veſtra Majeſtas, et vos relliqui Domini Electores, Principes, Ordines, et Amici, me clementiſſime, clementer, et peramice audire ne dedignemini.*

Et ſane ad Relligionem quod attinet, cum nomine Caeſareae veſtrae Majeſtatis mihi iterum imperatum fiet, quod, quum

mea

paucis lineis conſtringi poſſint. PII ſane illic cognomentum cordata piae confeſ-

FRIDERICUS III. PIUS.

mea Relligio Auguſtanae Confeſſioni non conſentanea, ſed cum CALVINISMO contaminata eſſe debeat, illam mutare et abrogare debeam. Adhaec Caeſareae veſtrae Majeſtati, antequam reformationem Eccleſiarum mearum inchoaſſem, propria oris mei confeſſione reſpondi, quod in conſcientiae et Relligionis negotio, non amplius, quam unum Dominum, Regem Regum, Dominumque Dominorum omnium agnoſcerem. Ejus mentis et opinionis adhuc ſum, et icciirco libere profiteor, quod negotium illud non pileum carne refertum, ſed vice verſa animam, ejuſque aeternam beatitudinem attineat, illam Dominus meus mihi cuſtodiendam tradidit, quocirca etiam me obligatum ſentio, illam cuſtodire, ad quod faciundum promtus ac paratus ſum.

Quapropter hoc ipſo in negotio Caeſareae veſtrae Majeſtati neutiquam concedere poſſum, quod illa, ſed ſolus DEUS, animarum omnium creator, animae meae imperare queat, et firmiter credo, Caeſaream veſtram Majeſtatem res haſce ab executione minime inchoaturam.

Cum CALVINI libros nunquam legerim, id quod cum DEO TER. OPT. MAX. et propria mea Chriſtiana conſci-

Fri-
deri-
cus
III.
Pius.

feſſionis conſtantia, tum etiam adverſariorum judicio meruit.

Mul-

ſcientia adteſtari poſſum, iccirco eo minus ſcire poſſum, quam videlicet in partem Calviniſmus interpretetur.

Jampridem vero Francofurti Receſſui ſubſcripſi, eumdemque ſigillo meo Electorali obſignavi: quemadmodum etiam poſtmodum Naumburgi itidem quoque Auguſtanae Confeſſioni, una cum praecipuis ſecularibus Electoribus et Principibus, Confeſſioni illi addictis (quorum non pauci jam heic praeſentes ſunt), ſubſcripſi, eamdemque obſignavi, in qua etiam conſtanter perſeverare cogito, idque hac potiſſimum de cauſſa, quum ſciam, illam in verbo Dei, hoc eſt. in SS. Scriptura, Veteris Novique Teſtamenti, fundatam. Nemo igitur cum ipſo veritatis fundamento me incuſare poterit, quod iſti repugnaverim, illud ipſum ſiquidem adhuc hodie minime conarer.

Ad Catechismum meum quod attinet, eumdem ego conſtanter confiteor, qui in marginibus SS. Scripturae fundamentis adeo armatus eſt, quod hactenus inconcuſſus permanſerit. Quamvis enim id Theologi quidam moliti fuerint, nihilominus tamen Aethiopem, uti in proverbio dicitur, dealbarunt, et in poſterum

quo-

Multis praeterea aliis documentis teſtatam reddidit pietatem ſuam: inprimis autem quoque quemadmodum ſpero, auxiliante divina gratia inconcuſſus permanebit.

Fridericus III. Pius.

Poſtquam vero jam antea Caeſareae veſtrae Majeſtati privatim, quemadmodum etiam in Electorali noſtro Conſilio, pleno in conſeſſu, etiam amicis meis aliquot, jam heic praeſentibus, mentem meam explicarim, quod ſi videlicet quiſpiam, ſive is ſenex, ſive junior, doctus, vel indoctus, imo etiam infimae ſortis ſtabularius, vel lixa, ex Dei ſolum ſalvum faciente verbo, Biblica Scriptura Veteris Novique Teſtamenti, me melius, quam hactenus inſtructus fuerim, informaverit, me ipſi, poſt Deum, gratum futurum, et tum Deo Ter. Opt. Max. debitum obſequium praeſtiturum.

„ *Sereniſſ. Princeps Elector dictum hoc Cy-*
„ *rilli in Joann c. 9. l. 1. 6. c. 20.* Si a-
„ nimus noſter vera eſſet humilitate mu-
„ nitus, non erubeſceret etiam a quovis
„ puerulo, quicquam, quod ignorat, ad-
„ diſcere *etc. Pientiſſime, Sapientiſſime, ve-*
„ *re Principaliter, Electoraliter, et Regie,*
„ *in hac oratione, aeterna memoria digniſſi-*
„ *ma, conſideravit et perpendit.*

Si nunc in praeſenti congregatione plures, vel pauciores dominorum et amicorum meorum, illud conari vellent, prompte

FRIDERICUS III. PIUS.

tem ſtudiis atque operibus charitatis erga mi-

pte et avide illud ab ipſo perciperem, Biblia ſiquidem mox in promtu forent.

„ *Biblia Sereniſſimi Domini Electoris filius*
„ *Dux* JOH. CASIMIRUS *ad manus habebat.*
„

Sin vero ipſa veſtra Caeſarea Majeſtas hunc laborem in ſe ſuſcipere ne dedignaretur, illud clementiſſimum beneficium pro virili debito cum obſequio iterum compenſaturus eſſem.

Quod relliquum eſt, ſin Caeſarea veſtra Majeſtas Chriſtianam hanc meam intentionem, uti nullus diffiteor, clementiſſime inviolatam permiſerit, et hoc negotium non ab exequutione inceperit, quemadmodum laudatiſſimae glorioſiſſimaeque memoriae Romanorum Imperator FERDINANDUS, Caeſareae veſtrae Majeſtatis Dominus, et parens pientiſſimus, ob id nullam moleſtiam periculumque mihi creavit, meamque conſcientiam neutiquam perturbavit; quum nihilominus Caeſarea ſua Majeſtas exoptaſſet, ut in Regia Caeſareae veſtrae Majeſtatis coronatione Moenofrancfurtenſi idololatrico Miſſae officio interfuiſſem.

Sin autem humillima mea confidentia forſitan locum habere non poterit, et quisquam Chriſtianam honeſtamque meam intentionem violenter impugnaverit, meipſum

miſeros, afflictos; preſſoſve religionis cau-

FRIDERICUS III. PIUS.

ipſum conſtanter conſolor, quod Dominus et Servator meus JESUS CHRISTUS mihi et omnibus pie credentibus, certo ſiet pollicitus, ſe omne illud, quod honoris, nominis, et gloriae ſuae cauſa perdidero, in altero mundo centuplum reſtituturum. Hiſce me Caeſareae veſtrae Majeſtati et gratiae humillime commendo. *Haec ille.*

His ſic a FRIDERICO *Palatino dictis, Caeſarem, lacrumis ubertim profluentibus, genas ſuas rigaſſe ferunt, quo clementiſſimam ſuam erga Electorem Palatinum adfectionem glorioſiſſimus iſte Imperator conteſtatus eſt, idque eo magis, quod ſingulari Dei providentia tres iſti, de quibus diximus, Doctores et Conſiliarii Palatini in hacce ſui Principis cauſa defendenda et perſequenda in Comitiis obmutuerint, et ſolus Elector gloriam Dei in dictis iſtis Comitiis proponere, et maſcule defendere neceſſum habuerit. Quo circa illum Caeſar ad foveam, uti dictitant, uſque ſingulari amore et favore, et Caeſarea clementia proſequutus eſt.*

Paulo poſt Auguſtus, Dux et Elector Saxoniae, e ſede ſua reſurgens, in praeſentia Caeſaris, Electorum, Principum, et reliquorum S. Rom. Imperii Ordinum, Friderici Septemviri Palatini humerum palma manu amice pulſavit, et in vernacula noſtra ſic eundem alloquutus eſt. Fritz du biſt frömmer dann wir alle mit ein ander: *id eſt*, Friderice religioſior es nobis omnibus. *Marchio autem Badenſis, dum ſolvitur conventus,*

FRIDERICUS III. PIUS.

cauſa. Horum ipſum fortuna non ſecus ac

tus, ad Principes circumſtantes converſus, quid, *ait*, divexatis iſtum Principem, qui plus pietatis habet quam nos omnes? *Relliqui vero Electores et Principes, uti et ipſa Caeſarea Majeſtas non ſolummodo cum nunc ſaepe dicto* Friderico III. *Septemviro Palatino reſpective contenta fuit; ſed et idem* Fridericus, *quemadmodum et omnes ipſius ſucceſſores, in negotio Relligionis directorio ad hodiernum uſque diem conſtans et conſtantes permanſere.*

Notandum quoque heic venit, leonem Palatini Principis, cicuratum et manſuefactum, herum ad menſam ſedentem offendiſſe, et primoribus ſuis pedibus, adulanti ſimilem, in humeros Electoris leniter inſiliiſſe, quo facto omnes caeteri Electores et Principes, rei iſtius ignari, perterrefacti, a Friderico bono animo eſſe juſſi ſunt, herum enim ſuum leonem quaeritaſſe dixit, et eundem deduci rurſum imperavit. Memorabile certe exemplum, quod haud inconcinne, mutatis tamen mutandis, cum hiſtoria de Androdo et Leone apud Gellium lib. 5. c. 14. *comparari poſſet. Id quod Lector aliquanto altius perpendat.*

Hactenus ex laudato MS. quod Lectori haud ingratum fore ſpero. Neque praeterire lubet, quod cum multi iter Auguſtanum diſſuaderent, interque eos RICHARDUS Electoris frater. Pie ipſi reſpondit: *Se Deo, et cauſae, quae ipſius ſit, confidere: forte velle Deum, ut ſit organon ſuae gloriae, illuſtri confeſſione, non verbis ſo-*

ac ſua afficiebatur. Singulis ſubvenire pro virili cupiebat, ſtudebatque. FRIDERICUS III. PIUS.

Eccleſiae (e) commoda ubique promovit, lites ſopivit errores ſuſtulit, et errantes ad meliorem mentem revocare annitebatur. Quod prae iis, quae diximus, teſtatur COLLOQUIUM FRANCOTHALENSE inter *Noſtros* et *Anabaptiſticos* habitum *Doctores.* P Et

ſolum, ſed re ipſa declarandae. Idem conſocerum ſuum Johannem Fridericum Electorem Saxoniae feciſſe ſub Carolo V. Caeſare. Et licet non ſit tam arrogans, ut ſe ei aequare velit aut comparare; hac tamen certa fiducia teneri, Deum illum, qui ipſum tam animarit et roborarit ſuo Spiritu, adhuc vivere, ac non poſſe modo, ſed etiam certo velle, ſe miſerrimum vermiculum firmare invicta fidei conſtantia. Quod ſi etiam ad ſanguinem uſque veniendum ſit, ut is pro gloria Dei ſui ſit effundendus, nunquam ſe pro eo dignas gratias Divinae Majeſtati reddere poſſe.

Quare iter ingreſſus, Auguſtam menſe Aprili comitatu frequente pervenit, procedente ipſi obviam ipſo Imperatore, et omnibus Electoribus ac Principibus: ut tam ſplendida et honorifica receptio ullius Electoris a longo tempore viſa non fuerit. Quae interim illic acta ſunt, ſatis copioſe Celeber. ALTINGIUS *recenſet ex* MS. Dan. Toſſani, *quod etiam poſſideo, ad quem propterea Lectorem remitto.*

(e) De his rebus omnibus, et qui litem de

FRIDERICUS III. PIUS.

Et quo magis ſtudia eveherentur, ac Ecclesia et Curia eruditis abundaret viris, Academiam reformavit, doctis Viris ornavit, *Collegium Sapientiae (f)*, primum Philoſophiae dicatum, Elector Theologiae Sactum voluit, ac *Seltzae* et Scholam erexit, quam anno 1575. in Illuſtrem Scholam convertit, in quam ſolum nobiles reciperentur.

Dies deficeret, ſi omnia enarrare vellemus, quare praecipua quae reſtant, breviter attingemus.

Anno MDLXVII. die 30. Octobr. orbatus eſt ſua conjuge illuſtriſſima et piiſſima, diuturnis et gravibus confecta morbis. Ex qua filios ſex, et quinque filias ſuſceperat: et quam FRIDERICUS PIUS ad ſuam de Euchariſtia ſententiam, a qua ante alienior erat, facile traduxit: poſtquam ei iſtud *axioma* perſuaſit: *Certitudinem dogmatum Chriſtianae religionis non ab hominum aut Doctorum, qualeſcunque illi ſint, auctoritate pendere: nec videndum quid hic vel ille, quantumvis eximius Doctor, ſed, qui ante omnes eſt*, CHRISTUS *docuerit.*

Antea enim credebat optima Princeps fe-

de Excommunicatione etc. oppreſſit, et qui alimenta Studioſis ſuppeditavit etc. vide *Altingium l. c. p.* 61. *ad* 123.

(*f*) De Collegio Sapientiae vid. QUIRINI REUTERI *Jubilaeus primus Collegii Sapientiae*, impreſ. Heidelbergae. 1606. in 4.

femina, nefas eſſe vel a LUTHERI, vel a ſui Concionatoris Aulici, *Otomari* cujuſdam *Stabii* ſententia diſcedere. Quae opinio adhuc hodie multos, proh dolor! dementat et decipit.

FRIDERICUS III. PIUS.

Ineunte anno MDLXVIII. a Pio Electore, qui vere credebat Communionem Sanctorum, et calamitatibus Eccleſiarum non minus quam ſuis afficiebatur, in *Galliam* mittebatur cum exercitu Illuſtriſſimus Princeps et Dominus JOHANNES CASIMIRUS, ut Principi CONDAEO, AMIRALIO et aliis GALLIAE Proceribus atque Eccleſiis afflictis opem ferret: in quo bello licet tyrocinium faceret, tamen tum ejus fortitudo, tum prudentia, tum ſingularis juvenis adhuc Principis humanitas omnibus fuit admirationi.

Anno MDLXIX. ſecundas nuptias cum inclyta et religioſa Domina AMELIA Comitiſſa a NEUNAR, Baronis BREDRODII vidua, repetiit Elector FRIDERICUS.

Cum vero anno MDLXX. SPIRAE Comitia haberentur, *Caeſar Electorem* inviſere voluit. Cujus *Caeſareae Majeſtati* idem prope contigit, quod de ATHALARICO, *Gothorum* Rege, memorat Hiſtoria Eccleſiaſtica: qui cum a THEODOSIO invitatus CONSTANTINOPOLIM veniſſet, et Principis pietatem, juſtitiam et modeſtiam conſideraſſet, dixit: ſe agnoſcere hoc Imperium a Deo ordinatum, nec fo-

FRIDERICUS III. PIUS.

re felices eos, qui evertere conentur. Sic MAXIMILIANUS hujus Herois candorem et pietatem mirari ſatis non poterat.

HUIC *Elector* poſt multa et praeclara de Republica colloquia BIBLIA, in linguam Hiſpanicam converſa, his verbis obtulit: *Munus offero, Caeſar, quod Caeſareae veſtrae Majeſtati gratum eſſe debere exiſtimo: primum quod theſauros omnibus theſauris anteponendos hic liber complectitur, et rationem, qua Imperatores, Reges et Principes feliciter gubernare poſſunt, oſtendit: deinde, quia ea lingua eſt expreſſus hic liber, qua Caeſarea Majeſtas delectatur.*

Accepit Caeſar munus benigne, et ſe lecturum promiſit.

Verum Satanas ſibi ſemper ſimilis, et pio Electori felicem rerum ſucceſſum invidens, non ſolum infelicem et intempeſtivam de (g) *diſciplina Eccleſiaſtica* controver-

(g) Auctores hujus litis fuere *Neuſerus*, at inprimis TH. ERASTUS. Occaſionem refert Cl. ALTINGIUS *l. c. p.* 101. 102. Multi ipſius ſententiam adoptarunt, ac ab illa non procul abeſt JOH. SELDENUS in erudito libro *de Synedr. l.* 1. *c.* 7. *ad* 14. Varii ipſum refutarunt, inter quos TH. BEZA peculiari ſcripto; G. VOETII *Polit. Eccleſ. part.* 3. *p.* 844. *etc.* et *lib.* 1. *tract.* 2. *c.* 2. *etc.* et C. VITRIN-

verſiam, quae tunc fere omnem et diſciplinam, et modeſtiam, et caritatem multis excutiebat, toto fere biennio excitarat: verum etiam quoſdam, qui tunc primi omnium rerum eſſe volebant, ita excitaverat, ut ad *Turcicas* et (*b*) *Arianas* opiniones delaberentur.

FRIDERICUS III. PIUS.

Illae turbae, illa ſcandala quantopere pium Electoris cruciarint animum, dici non poteſt. Verum quid agas? ut latrones non ſtruunt inſidias pauperibus, et vacuam crumenam habentibus; ſed iis, qui multa pecunia onuſti ſunt: ſic Diabolus, inquit CYPRIANUS *Lib.* 1. *et* 3 *Epiſt.* 1. eos quaerit dejicere, quos videt ſtare. Et iis magiſtratibus ac aetatibus maxime inſidiatur, quos CHRISTO videt ſincere ſervire: quos pietate aliiſque virtutibus eſſe inſtructos, in quibus denique CHRISTUM cernit habitare. P 3 Qua-

TRINGA *de Synag. lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 9, 10 *et* 11. aliique. Optandum foret, ne hodie exiſterent, qui Diſciplinam Eccleſiaſticam ſublatam vellent, in quos graviter et merito animadvertit Doctiſſ. H. WITSIUS in libello cui titulus: Twiſt des Heeren met zyn Wyngaart. *p.* 439. *etc.* Plurimis ſane, ac Politicis *ἀνόμως* vivere jucundum videtur, ac proin pietatem negligunt.

(*b*) Vid. toties nobis laudatus ALTINGIUS *l. c. p.* 103-108.

Fri-deri-cus III. Pius.

Quare infractus et imperterritus Elector, memor ſui ſymboli: Domine juxta voluntatem tuam: Divinae Providentiae, cujus nutu omnia geruntur, ſeſe ſubmiſit: et interim eorum, quae religioſi et fortis Principis ſunt, nihil praetermiſit. Ex verbo Dei enim aliquoties ipſius Celſitudo praeſens reos convinci, et de iis, qui contra religionem ſimul et patriam conſpirabant, et comprehendi tunc poterant, ultimum ſupplicium ſumi curavit: ut in aeternum illorum diabolica calumnia coram Deo et hominibus refutaretur, qui noſtram ſanctam religionem cum Arianiſmo aliquid commercii habere contra conſcientiam calumniantur.

Anno MDLXXIII. cum hac iter haberet et inexſpectatus parumque gratus hoſpes huc uſque ad Electorem excurreret Henricus, tunc Dux *Andegavenſis* electus Poloniae Rex: Deus bone! quam gravi illum oratione in ſuo conclavi (in quo tunc forte appenſam habebat magni illius *Galliae* (*l*) *Amiralii* Caspari Coli-gnii

(*l*) Vita praeclari ac pii hujus Heroïs Ultrajecti 1644. recuſa eſt. Vide quae in ejus laudem profert Cl. H. Witsius *in Schediaſmate Th. Practic.* quam una cum *vita* optimi Viri *edidi* Gron. 1729. *cap.* 29. *p.* 211. et in editione Belgica, quae jam *ſecunda vice* prodiit, *pag.* 256. *etc.*

gnii imaginem) de (*k*) *lanienae Pariſienſis* enormitate, et conciliato *Galliae* Regibus aeterno dedecore admonuit Pius Fridericus, linguae Gallicae peri- P 4 tus,

Fridericus III. Pius.

(*m*) Infamis hujus lanienae omnes meminere Hiſtorici ad annum 1572. Cl. Eman. de Meteren *Annal. Belg. p.* 79, 80. *etc.* Christ. Eberhardi Weismanni *Hiſtor. Eccleſ. N. T. parte poſter. pag.* 268. Aliique. Architecti ad opprimendam et exſtirpandam Reformatam in Gallia religionem fuere mater Regis *Catharina de Medicis*; *Franciſcus*, Dux *Guiſius*, et *Henricus*, Dux *Andegavenſium*, cujus hic fit mentio, conſentiente rege *Carolo* ix. Papa *Gregorius* xiii. ut ſe Beſtiam in Apocalypſi depictam, ac ſociis ſimilem oſtenderet, miros edebat, talique propudio dignos, Romae triumphos. Nam audita tragoedia cum Cardinalibus ad S. Marci ſe contulit, jubilaeum edixit, tormenta explodi juſſit, parieti Hiſtoriam illevit, nuntio mille aureos donavit, Roma Cardinalem Urſinum miſit, qui Regem laudaret, et Concilii Tridentini promulgationem peteret, quod tamen non obtinuit. Neque haec diſſimulat Famian. Strada *de Bello Belgico Decad. Prima l.* 7. *p.* 367. Thuani Pater, ſi quando hujus lanienae meminiſſet, repe-

FRIDERICUS III. PIUS. tus, et Latinae quoque non ignarus. Quam orationem ſaluberrimis praeceptis de ratione feliciter gubernandi in POLONIA temperavit.

Cum

petere ſolebat hoſce *Statii* verſus, qui exſtant *Sylvar.* l 5. *in Protreptic. ad Criſpinum*, vers 88.

Excidat illa dies aevo, ne poſtera credant
Secula. Nos certe taceamus, et obruta multa
Nocte, tegi propriae patiamur crimina
gentis.

Vid. Cl. THUANUS *Hiſtor.* l. 53. M. ANTON. MURETUS, qui vel pueris notus eſt, et cujus ſceleratos peſtiferosque mores indicavi in *Diſſertatione*, vernaculo edita ſermone, *de abominabili crimine Sodomiae*, Groningae 1731. in 8. (quod, proh dolor! et noſtras invaſit regiones) *pag* 101. et hoc ſuis annexuit flagitiis, ut hanc Deo et hominibus deteſtabilem caedem laudare ſuſtinuerit *Oratione* 13. *p.* 149. etc. *ejus Oration. et Epiſtolar. volumine.* Melius BENJAM. PRIOLUS, qui a nobis ad Pontificiorum caſtra ſe contulit, ac obiit 1667. loquitur *l.* 1. *de Reb. Gallic. In feſto S. Bartholomaei uno ictu decretum amputare caput Hydrae renaſcentis, facinore indigno Gallico nomine, et quod Sequana non abluat ſuis undis.*

Cum anno MDLXXIV. nuncium illud infauſtum adferretur de caeſis Ducis CHRISTOPHORI filii, et Comitis LUDOVICI NASSOVII copiis, quas illi in ſubſidium Principis AURIACI et *Belgicarum Provinciarum* ducebant, et de morte tamen CHRISTOPHORI Ducis nihil adhuc compertum haberetur, videret autem pleroſque ex ſuis conſiliariis moeſtos: *Bono animo eſtote*, inquit, *ſcio filium meum natum eſſe mortalem. Quod ſi Dei fuit voluntas, eum in illa expeditione mori: malo illum pro bona cauſa fortiter depugnantem occubuiſſe, quam domi in otio, a vitiis, quae pulvinar illud Satanae, otium inducit, expugnatum contabuiſſe.* FRIDERICUS III. PIUS.

Et ut tandem concludam, et ad ultimam periodum ejus vitae veniam: poſteaquam pius Elector anno MDLXXVI ſub finem menſis Auguſti Illuſtriſſimum Principem Ducem JOHANNEM CASIMIRUM, quem et obedientiſſimum ſibi ſemper expertus et unice diligebat, ex ſecunda expeditione in Galliam, pace conciliata, ſalvum et incolumem, ſuperatis multis *inſidiis* et *difficultatibus*, ſibi a *Deo* reſtitutum magna cum laetitia (*l*) excepiſſet,

P 5

(*l*) *Inſigne tunc edidit Elector optimus pietatis verae, et omnibus imitandum exemplum, quod ſilentio heic neque premi, neque involvi debet. Nimirum: Pater Ducem Ca-*

Fridericus III. Pius.

ſet, et paulo poſt nuncium afferretur de morte Imperatoris Maximiliani: *Nae ego*, inquiebat, *Princeps ſexagenarius hujus vitae quoque pertaeſus cum* Simeone *lubens dicerem*: Nunc dimittas Domine servum tuum: *ſi mihi a Domino Deo prius concederetur, novum et juvenem Dominum noſtrum Imperatorem ſalutare, et filium meum primogenitum Ducem* Ludovicum *adhuc ſemel ante mortem videre, et utrumque de nonnullis ad Reipublicae Chriſtianae commodum pertinentibus admonere.*

Nam illi procul dubio, inquiebat, *et canitiem meam revererentur, et animi mei ſinceritatem et ſummum erga ſe ſtudium ex meis colloquiis intelligerent.*

Sed quid accidit? Ecce viſum eſt Deo ſanctam illam animam, quae toties tot gemitus effuderat, et diu bonam militiam militarat, brabio donare et ad ſe evocare. Morbus autem fuit capitis gravedo (καρον Medici vocant) et accedebat aliquid hydropis, quem morbum extra ordinem ſe urgere ſentiens, quatriduo ante mortem ſuis,

Caſimirum in area arcis de equo deſcendentem manu prehendit, et mox in Sacellum deduxit, ut publica gratiarum actione Deus celebraretur, largitor ſucceſſus, ac auctor pacis unicus. *Vid. Cl.* H. Altingius *l. c. p.* 121.

ſuis, praeſente, et ad ſe vocato Concionatore (*m*) Aulico, haec ſequentia dixit: *Satis ego*, inquiebat, *vobis et Eccleſiae vixi: me jam ad meliorem vitam vocari ſentio, et gaudeo. Praeſtiti ego, quod potui in gratiam Eccleſiarum. Sed potui parum*: IS, *qui omnia poteſt, et antequam natus eſſem, Eccleſiam ſuam conſervavit, vivit et regnat in coelis, qui Eccleſiam ſuam non relinquet orphanam. Nec inanes erunt meae preces et lacrymae, quas toties in hoc conclavi pro meis ſucceſſoribus, et pro Eccleſiis ad Dominum Deum fudi.*

FRIDERICUS III. PIUS.

Supervenit paulo poſt Illuſtriſſimus Princeps DUX JOHANNES CASIMIRUS, ex conclavi ſuo ad Patrem vocatus: qui optimo parenti optima officia ad extremum uſque ſpiritum praeſtitit, ac feliciſſimae migrationis parentis ex hac vita ſpectator fuit. Ipſe (*n*) qui AUGUSTAE optimo parenti in graviſſimis illis certaminibus adfuerat, in ultimo quoque agone fidiſſimus et officiociſſimus adfuit.

Tanta vero fuit optimi illius Principis Ele-

(*m*) *Nimirum* DAN. TOSSANUS.

(*n*) *Reſpicit Auctor ad ea, quae ſupra in notis memini*: pag. 220. *ſcil. quod cum Pater tanta cum* παῤῥησίᾳ *cauſam religionis defenderet, hicce* Johannes Caſimirus BIBLIA *admanus habebat, ut gladio illo quoſcunque vinceret adverſarios.*

FRIDERICUS III. PIUS.

Electoris in ipſa morte pro Eccleſia ſollicitudo, ut cum ejus Celſitudinem pridie mortis exhilarare vellet filius CASIMIRUS, nunciareque laeta quaedam, quae tunc de ANTWERPIANAE Eccleſiae ſtatu adferebantur, velut novos ſpiritus reſumere ſit viſus, et de manu filii chariſſimi aliquid cibi ſub horam coenae ſumſerit, pauliſperque in conclavi ſuſtentatus a CONJUGE et a filio CASIMIRO inambulaverit, et placide illa nocte dormierit.

Poſtridie ingraveſcente illo ſopore letlifero, cum ipſi *Caput* XVII. JOHANNIS, et poſtea ſub veſperam *Pſalmum* XXXI. paraphraſtice praelegiſſet, et preces fudiſſet, qui ipſi erat a concionibus, media quarta veſpertina die ipſa Amandi, quae tum erat XXVI. Octobris, anno MDLXXVI. *Amandus ille Princeps* feliciter in Chriſto obdormivit.

Multa praetereo praeclara dicta ex Scripturis, quae ante mortem recitabat. Praetereo et Confeſſionem illam fidei luculentam, quam ſuo Teſtamento inſeri voluit: quia illa omnia ſtatim poſt ejus obitum ex Illuſtriſſimi Principis CASIMIRI mandato *Germanice* primum, dein *Latine* et *Gallice* edita in omnium manibus jam diu fuerunt.

Ingratum fortaſſe non erit audire, quod cum aliquando a Magno aliquo Principe interrogaretur: *Cur non arcem aliquam*

aut urbem muniret? cum tot haberet inimicos: EGO, inquit ille, *arcem meam inexpugnabilem habeo. Quam?* ajebat alter. *Eam*, repoſuit, *de qua David* Pſ. XLVI. *gloriatur*: DEUS EST NOBIS PROTECTIO ET ROBUR, *in quo auxilium invenimus abunde. Atqui*, inquiebat ille, *utrumque eſt utile: externum et internum praeſidium.*

FRIDERICUS III. PIUS.

QUID QUAESO VOBIS, reſpondit Elector, PROFUERE IN BELLO PROTESTANTIUM VESTRAE ARCES ET MUNITIONES?

Sed quis illius incomparabilis Herois virtutes, non dico una oratione, quantumvis prolixa, ſed multis etiam voluminibus recenſere, et pro meritis collaudare queat? Apud quem *pii* omnes et *afflicti* per GERMANIAM, BELGIUM, GALLIAM auxilium invenerunt: quem omnes *boni* amarunt; *mali* multi reveriti ſunt.

DAVIDEM *regem fidei* appellare ſolebat LUTHERUS: quod is rebus maxime dubiis de divino auxilio bene ſperavit.

Tale certe elogium huic quoque Principi optime convenit, ut qui ſaepius illuſtria fiduciae in Deum ſpecimina dedit.

Obiit optimus Princeps die 26. *Octobr.* MDLXXVI. et HEIDELBERGAE in templo SPIRITUI SANCTO dedicato ſepultus (*o*) eſt.

Du-

(*o*) *Oratione Funebri publice illum laudarunt*

FRIDERICUS III. PIUS.

Duas habuit uxores. Prima fuit MARIA, Marchionis *Caſimiri* Brandenburgici filia, quae obiit 30 *Octobr.* MDLXVII. Altera AMELIA, Comitiſſa a NEUNAR. Qua-

runt P. BOQUINUS *et* GUILIELMUS RODINGUS. *Prodierunt illae Orationes* MDLXXVII.

Lubet heic ex MS. DAN. TOSSANI *addere anagramma Nominis hujus Principis, quod ipſi tunc temporis poſt obitum illius a Viro quodam ingenioſo, et poëta non contemnendo, tunc praecentore in aula Electorali exhibebatur*:

FRIDERICUS TERTIUS COMES PALATINUS BOJOARIAE DUX ET ELECTOR.

Quod per Anagrammatiſmum eſt:

ECCE DEI VIRTUTE FIDEM, UT REX SACRIOR ALTER JOSIAS, VOBIS PLANTO.

Placet et addere inſtitutionem moralem, quam FRIDERICUS Pius *poſteritati conſecravit.*

Chariſſime fili, fac ut pietas erga Deum tibi unice cordi ſit, eumque mane et veſperi adora ſedulo. Omnium actionum tuarum primordium a Deo ſume. Rebus ſecundis gratias illi age, adverſis ad ipſum confuge, memor ſcil. utramque fortunam ab ipſius nutu pendere, et neutram ſtabilem eſſe. Te peccatorem profitere. Cer-

Quatuor habuit filios, LUDOVICUM, de quo mox, et HERMANNUM LUDOVICUM, qui, cum in Academia Biturigum bonis literis operam daret, *annum agens* XV. anno Domini MDLVI. *triſti fato ſub-* FRIDERICUS III. PIUS.

certa animi fiducia exploratum habe, Jeſum Chriſtum, Dei filium, ſua te redemiſſe morte. Abſit, ut hic unquam haeſites, quin conſtantiſſime, dum ſpiritus regit artus, in hac fide perſiſte. Sic te viciſſim in numero electorum eſſe profitebitur, et apud Patrem ſuum coeleſtem pro te intercedet. Superbiam fuge. Dignitatem tuam gnaviter protege. Veritatis amans eſto. Sta promiſſis, etiam cum vitae et fortunarum periculo: ſiquidem ſeu ſerio, ſeu per jocum mentiendo Diaboli te filium reddis, qui mendacii pater eſt. Pudicitiam conſerva dictis, factis et mente. Alterius conjugem aut liberos ne corrumpas. Non facile cum quovis manum conſere, explicatis autem vexillis, tunc ſtrenue pugna, et cave ne tergum vertas: praeſtat enim fortiter pugnando mortem oppetere, quam turpi fuga ſaluti conſulere. Ne ſis prodigus, neque ſordide avarus. In honeſtis liberalem te praebe. Nullius famae obtrectato, nunquam immemor, te miſerae hominum ſorti eſſe obnoxium. In negotiis a fraude abſtine, hoc diutius perſiſtit: nihilominus inge-

Digitized by Google

FRIDERICUS III. PIUS.

ſubmerſus eſt in AVARICI trajectu, fluminis exigui, cymba inverſa, ſummo omnium dolore et planctu.

Tertius fuit JOHANNES CASIMIRUS, ac Quartus CHRISTOPHORUS, Princeps magnanimus, egregius, et literis omni-

genia et naturam hominum explora: erga bonos enim bonum te praebere decet. A ſubdolis tibi cave, et circumſpectius cum illis loquere. Egenorum miſeria tibi curae ſit. Noli delectari adulatorum, blaſphemorum et ſcurrarum familiaritate. Ama eos, qui errata tua corrigunt, et ex fide tibi conſulunt. Fidos Eccleſiae et alios miniſtros dilige, eorumque induſtriam, quantum in te eſt, praemiis affice. Malitioſos vero fac, ut commode removeas. Cujuſvis dedecus abſconde; ſin ad gubernacula ſedes, abſit, ut ſua ſcelerati facinora impune ferant. Subditos affectu paterno amplectere, neque eos per fas et nefas exactionibus affligi permittito. Sic enim parta male dilabi vidi ſaepius. Defende probum, et quamvis contigit ut ignorantia delinquat, animadverte in eum moderate, quatenus competit. Averſare propinandi morem ex quo (ut Divus Paulus admonet) vita promanat diſſoluta.

Sane haec digna ſunt, ut ab omnibus et legantur et imitentur. Verum quam pauci his ſe ſimiles praeſtant!

omnique virtutum genere mirifice ſupra captum vel morem aliorum ſui temporis Principum excultus, ac proin omnibus amabilis. Cum inſigni doctrinae belli artes conjunxiſſet, in praelio contra Hiſpanos in *Campis Mauceuſibus* prope NEOMAGUM commiſſo cecidit Anno MDLXXIV. incredibili cum luctu totius ditionis, et omnium patriae amantium, patriſque optimi gemitu; juvenis longa digniſſimus vita et amplo imperio.

FRIDERICUS III. PIUS.

LUDOVICUS VI.

Lu-DOVI-CUS VI.

LUDOVICUS, primogenitus FRIDERICI III Electoris, in lucem editus fuit CULMBACI ANNO CHRISTI MDXXXIX.

Princeps manſueto ingenio ac placidis commodiſque moribus.

Pueritiam atque adoleſcentiam domi fere tranſegit: non inerti otio, ſed ſtudiis exercitiiſque liberalibus.

Uxorem ſibi deſpondit ELISABETHAM, fortiſſimi Principis Landgravii PHILIPPI filiam.

Domicilium, quoad Pater ſuperfuit, AMBERGAE in Palatinatu BAVARIAE habuit. Provinciam quoque Proprincipis titulo atque auctoritate adminiſtravit.

Diſſenſit autem a Patre in doctrina de *Coena Domini* juratus in verba LUTHERI: obfirmantibus ipſum in errore CONJUGE ac RICHARDO Patruo.

Quae res et animum (*p*) Patris graviter vul-

(*p*) *Qui tamen fatidico quaſi ſpiritu praenunciavit, quae a Filio ſperare non licebat (nam ad Patrem aegrum vocatus venire renuit, ne nexu aliquo aut promiſſo averteretur a propoſito mutandae religionis), ea nepotem* FRIDERICUM nim. IV. *facturum: dum dicebat;*

Lutz

vulneravit, et curſum purioris doctrinae haud leviter retardavit.

Ludovicus VI.

A morte Patris cum Electoratum iniiſſet, in utroque Palatinatu mutavit ſtatum (q) Eccleſiarum ac Scholarum, abdicatis piis Doctoribus ac Paſtoribus.

Et quo doctrina Lutheri, ſublatis diſſenſionibus, de novo ſtabiliretur per Germaniam, Librum Concordiae a Sex viris Theologis Bergae conſarcinatum, ac varie interpolatum approbavit, eidemque ſubſcripſit.

Apologiam quoque Erfordiensem, ſubmiſſo Heidelberga D. Kirchnero, adornari, ac vulgari publico nomine juſſit.

In quo tamen negotio ſaepe deſidera-

Lutz wil es nicht thun / Fritz wird es thun / Ludovicus facere non vult, at faciet Fridericus.

(q) *Vid.* Davidis Paraei *de Statu Quinquagenario Palatinae Eccleſiae Oratio Inauguralis in Doctoratum Theologicum* Simonis Erpp-Bruchausen Heidelberg. 1616. pag. 12, 13. *et Cl:* Henr. Altingius *in Hiſtor. de Eccleſ. Palatin.* pag. 123-151. *qui haec omnia accurate et prolixe ediſſerit, ad quem propterea* D. L. *ablego.*

LUDOVICUS VI.

vit (r) bonam fidem ipſorum Scriptorum: qui privatas ſuas opiniones, infarſerunt publicae Eccleſiarum CONFESSIONI, et pro communi ac conſentiente Euangelicorum ſententia eas venditabant.

Bello COLONIENSI, quod Fratris CASIMIRI auſpiciis gerebatur anno MDLXXXIII. non defuit bonae cauſae, nec contemſit aut neglexit pericula Sociorum.

In controverſia ORTENBURGICA contra Bavarum, cum Electoribus ceteriſque Ordinibus Euangelicis oppoſuit ſe CAMERAE SPIRENSENSI, quod pacem Religionis gravi praejudicio labefactaſſe videretur. Conventus eam ob rem MULHUSII indictus praematura ipſius LUDOVICI morte impeditus eſt.

In tota gubernatione pacis ac quietis ſtudioſiſſimus fuit. Subditos leniter habuit, nec novis tributis gravari paſſus eſt.

In vitia ac ſcelera, inprimis autem in libidines ac adulteria ſevere animadvertit.

Literas ac Literatos fovit. Ordinem Sacrum coluit. Collegia Pauperum novis reditibus ditavit. Bene meritos liberaliter remuneratus eſt.

Aula ipſius perpetuo affluebat magnis hoſpi-

(r) *Vid.* H. ALTINGIUS p. 139, 140.

ſpitibus, quorum ipſe conſuetudine, praeſertim affecta jam valetudine, recreabatur plurimum

LUDOVICUS VI.

Ex conjuge ELISABETHA prolem tulit numeroſam magis quam vivacem. Filia major in matrimonium tradita eſt CAROLO Duci *Sudermanniae*, poſt SUECIAE Regi. A cujus (*s*) obitu, redintegratis nuptiis, uxorem accepit ANNAM (*t*) Friſiae Orientalis Comitem. Sed ipſe non diu ſuperfuit

Moriens filiolo FRIDERICO, tum novenni, tutores nuncupavit primo quidem loco JOHANNEM CASIMIRUM fratrem: inde vero Principes Lutheranos (*v*) tres, ei ſuccenturiatos, ſi quid in religione novare vellet.

Deceſſit placida morte, anno aetatis ſuae XLIX. CHRISTI SERVATORIS MDLXXXIII. d. 12. *Octobr.* Monumentis

(*s*) *Obiit ipſius Uxor* ELISABETHA *anno* 1582.

(*t*) *Erat illa filia Comitis* EDZARDI, *quae dein* Erneſto Friderico Marchioni *Badenſi et Hochburgenſi, et tandem* Franciſco *Duci Saxoniae Lawenburgenſi nupſit.*

(*v*) *Nim.* WILHELMUM *Landgravium Haſſiae Socerum*, RICHARDUM *Palatinum Patruum*, *et* LUDOVICUM *Ducem Wirtenbergicum*,

LUDOVICUS VI.

tis Majorum ſplendidis exequiis illatus. Memoriam funeris anniverſaria pecuniae ac frumenti diſtributione inter pauperes ſancivit.

FRI-

FRIDERICUS IV.

FRIDERICUS lucem primum vidit AMBERGAE *anno* CHRISTI MDLXXIV. d. 5. *Martii* — FRIDERICUS IV.

Sub (*x*) Patrui tutela egregios fecit pro-

Q 4 greſ-

(*x*) *Egregium Principem* JOHANNEM CASIMIRUM *ſilentio praeterire non licet, neque etiam illud a me impetrare poſſum, ut tale quid, nacta hac occaſione, committerem. Quare brevem illius optimi Herois Proſopographiam hic ſiſtere lubet.* JOHANNES CASIMIRUS *natus eſt die 7. Martii anno* MDXLIII. *Duxit* ELISABETHAM AUGUSTI *Saxoniae Electoris Filiam anno* MDLXX. *die 4. Junii nuptiis* HEIDELBERGAE *celebratis, quas doctiſſimis carminibus celebravit* JOHANNES BRANTIUS *Duisburgenſ. qui etiam Tabulas adjecit Genealogicas,* Heidelbergae 1570. *in 4 A morte Patris* FRIDERICI *in diviſione Provinciarum cum* LUDOVICO *Fratre ſortitur Neoſtadium et Lutream in inferiore, Neoforum in ſuperiore Palatinatu. Orthodoxam Religionem, multis licet diſſuadentibus, pene ſolus retinuit ac defendit in Germania juxta Symbolum:* CONSTANTER ET SINCERE. NEAPOLI NEMETUM COLLEGIUM *et* GYMNASIUM, *ab ipſo dein* CASI-

FRIDERICUS IV.

greſſus. Ac illo defuncto, ipſe capeſſivit gubernacula Electoratus ſui: fruſtra obniten-

SIMIRIANUM *dictum*, *ingenti ſumtu et ſingulari munificentia erexit anno* MDLXXVIII. *Calend. April. Vid.* JOH PHILIP PAREI Neapolois Nemetum carmine Epico deſcripta *pag.* 16 *in quod Theologos* HEIDELBERGA *dimiſſos*, *veluti* ZANCHIUM, URSINUM, TOSSANUM, DOBBINUM, SMETIUM, STENIUM, alioſque *recepit. Vid.* HENR. ALTING. *l. c. p.* 135. *ubi plura. Libro Concordiae publicato ab Ubiquitario Anno* MDLXXX *maſcule ſe oppoſuit. Multis ſplendidiſque tunc pollicitationibus, ne plus aliis Principibus Imperii ſolus ſapere vellet, ipſum expugnare omni ſtudebant modo. At divina gratia et hortatibus ac conſiliis virorum, quos ſecum habebat, praeſtantiſſimorum, in ſententia ορθοδοξιας perſtitit. Anno* MDLXXXIII. GEBHARDUM TRUXESIUM *vel* TRUCHSESIUM *Electorem* COLONIENSEM, *qui liberum religionis exercitium ſubditis permiſerat et Uxorem* AGNETAM *Mansfeldiam, cujus amore urebatur, Bonnae* 4. *Febr. anno* 1583. *duxerat, oppugnatum a Clero, Papa, Hiſpano et Bavaro, ſociorum et ſuis armis defendit. Sed ab illis relictus, et illecti quoque ad defectionem ipſius centurionis, cumque etiam eodem anno* 12. *Octobris Frater* LUDOVICUS *Elector decederet, in Palatinatum*

tente Propatruo (y) RICHARDO, ob FRI-
Q 5 de- DERI-
CUS
tum rediit, intra triduum, nuncio accepto de IV.
fratris obitu, Heidelbergam advolans. Adiitque adminiſtrationem Electoratus, et tutelam nepotis FRIDERICI *minorennis, idque jure Naturae et Bullae aureae. Reſtituit Eccleſias et Scholas in eam formam, qua a Patre* FRIDERICO *conſtitutae erant, indicta ad id* Diſputatione Publica *de* CAENA DOMINIA *anno* MDLXXXIV. *die* 4. *Aprilis Praeſide Theologo celeberrimo* JOHANNE JACOBO GRYNAEO, *qui omnes calumnias et condemnationes adverſus orthodoxam doctrinam nervoſe refutavit. Quanta vero moderatione, quantoque labore, ſudore, periculo omnia integritati priſtinae ceu poſtliminio reſtituerit, copioſe traditur a Cl. Viro* HENR. ALTINGIO l. c. p. 150. *in fine et ſeqq. Anno* MDLXXXIIIX. *una cum aliis Imperii Principibus Euangelicis Regi Navarraeo copias ampliſſimas ſubmiſit. Et tum in Galliis, tum in Belgio res Reformatorum juvit et ſuſtentavit. Princeps ſane fuit, magnanimus, bellicoſus, Regibus amicis honoratus, hoſtibus formidabilis,* SUIS CHARUS. *Obiit ſine maſcula prole* HEIDELBERGAE *anno* MDLXXXXII. *die 6. Januar. anno aetatis* XLIX. *poſtquam Electoralem Palatinatum annos novem feliciter adminiſtraſſet.*

(y) FRIDERICUS RICHARDUS, *Sim-*

FRIDERICUS IV.

defectum, neſcio quam puſillum, juſtae aetatis. Hujus tamen poſtea anno MDLXXXXIIX. in Ducatu Simmerenſi, uti ante CASIMIRI Patrui haeres factus.

Anno MDLXXXXIII. duxit LOYSAM JULIANAM, WILHELMI AURIACI ex CAROLA (z) Mompenſeria Filiam,

Simmerenſis Palatinus, FRIDERICI IV. *propatruus affectabat Palatinatus adminiſtrationem, quoniam* FRIDERICUS *aetatem* XIIX. *annorum nondum plene compleverat. Deerant enim duo menſes. Minas quoque atroces adverſus Eccleſiam ſpirabat, praeter alia etiam his verbis*: NULLAM PESTEM TAM SUBITO CALVINISTAS INTEREMTURAM, ATQUE IPSE FACTURUS ESSET. *In quanto tunc diſcrimine Eccleſiae Palatinae res ſitae fuerint, quiſque, ni fallor, ſatis intelligit. Interim de Richardina adminiſtratione diſceptatum fuit totum biennium: non tamen gladiis, ſed calamis. Poſſeſſione tamen gaudebat, et ſtatum Eccleſiae Palatinae integrum ſervabat* FRIDERICUS IV. *Elector. Vid.* DAVID PARAEI. *Oratio* etc. *p.* 15, *et* 16.

(z) CHARLOTTA de Bourbon, *tertia Principis Auriaci uxor, filia erat Ducis Montpenſierii ac Principis Regibus Galliae ſanguine juncti. Vid.* EM. VAN METEREN Hiſtor. der Nederland. enz. fol. 110. *a* et fol. 352. *a*.

liam, nuptiis habitis Dillenbergae d. 12. Junii.

FRIDERICUS IV.

Anno ſequente, Comitiis Ratisbonenſibus feudum a Rudolpho Caeſare ſuſcepit, non ſine oppoſitione agnatorum ob rem religionis. Quibus Avi exemplo conſtanti (*a*) confeſſione os obſtruxit.

Eccleſiarum et Scholarum munificus Patronus fuit. Inſtitutionem juventutis et Catechiſationem (*b*) adultorum in pagis et urbibus ſollicita cura per ſuos urſit.

Pacem religionis cum Lutheranis pie quaeſivit, ſed ab ipſorum impotentia impetrare nequivit.

MANHEMIUM propugnaculum ad defenſionem provinciae, tam dubiis tempori-

(*a*) *Vid.* VAN METERENI c. *fol.* 343. *a. Ubi illius Confeſſionis ſummarium apparet.*

(*b*) *Egregium ſane factum, dignum ut omnes imitarentur, nam ſine* Catechizationibus, *quae apud* Hebraeos, primos Chriſtianos *floruere, ſub* Papatu *oppreſſae et extinctae, ut tutius ignaros fallere poſſent, at cum* Reformatione *ſuſcitatae, impoſſibile eſt, ut homines veritatum cognitione recte imbuantur. Verum de illa excellentiſſima et perquam neceſſaria materia heic non licet agere. Forte alias ex inſtituto de Catechizationibus diſputabo.*

FRIDERICUS IV.

ribus, condere (c) coepit, jacto fundamento anno MDCVI. 3. die Martii.

DONAVERDA civitate Imperiali proſcripta a Caeſare ad querelas Abbatis, et a Bavaro occupata anno MDCVII. Comitiis etiam Ratisbonenſibus anno ſequente diſſolutis, cum aliis Principibus, Comitibus, et Civitatibus citra ullius injuriam pro defenſione religionis et libertatis Foedus, quod UNIONEM vocant, iniit, quod plene conſummatum eſt HALAE SAXONUM ſub initium anni MDCX. Ac ipſe, conſentientibus ſuffragiis, dux ejus atque director creatus fuit.

Anno MDCIX. cum aliis Principibus et Ordinibus Imperii Legatos miſit ad Caeſarem, quorum caput erat Princeps CHRISTIANUS Anhaltinus, conqueſtum de mala rei publicae adminiſtratione; rogatumque ut Imperator officii ſui rationem habeat, ne graviora ſequantur.

Anno MDCX. *bellum Juliacenſe* decretum et geſtum eſt auſpiciis Unitorum pro vindicandis Brandenburgico et Neoburgico provinciis. Ex quo natum eſt alterum *Al-*

(c) *Varia* privilegia *et* immunitates Elector *conceſſit iis*, *qui* MANHEMII *novo oppido et munimento domicilium inſtituerent. Edita illa ſunt* Heidelbergae 1607. *et denuo impreſſa* ibidem 1615. *Lingua Germanica, Gallica, ac Latina.*

Alſaticum, quod pacificatione finitum, amiſſo Comite OTTONE Solmenſi, Archimareſchallo Palatino. JULIACUM etiam poſt menſtruam obſidionem Principibus ceſſit. FRIDERICUS IV.

Hoc anno MDCX. die 9. menſis Septembris mortuus eſt HEIDELBERGAE praeſtantiſſimus Elector Fridericus IV. anno aetatis XXXVI. cum annis octodecim continuatis Palatinatum munificentia in Scholas et Eccleſias, et vigilantia pro pace et incolumitate Euangelicorum contra machinationes Pontificiae Ligae proſperrime gubernaſſet. Tumulatus in templo SPIRITUS SANCTI die 17. Octobr. relictis poſt ſe cum uxore vidua duobus (*d*) filiis, filiabus tribus impuberibus.

CUM EO PAX PALATINATUS ET GERMANIAE SEPULTA.

(*d*) *Nim.* FRIDERICUM V. *et* LUDOVICUM PHILIPPUM. *De quibus, ac in ſpecie de* FRIDERICO *ejuſque poſteris in Praefatione dixi, quae illic videri poſſunt.*

F I N I S.

GEORGII SOHNII,

ſacrae Theol. Doct. et Profeſ.

ORATIO HISTORICA

De

Fundatione et Conſervatione

LAUDATISSIMAE

ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS.

Digitized by Google

255

MAGNIFICO,

REVERENDIS, CONSULTISSIMIS,

PERITISSIMIS, DOCTISSIMIS

VIRIS,

FLORENTISSIMAE ACADEMIAE

HEIDELBERGENSIS

THEOLOGIS

D. QUIRINO REüTERO, Rectori.
D. DAVIDI PAREO, Profeſſori Primario.
D. BARTHOLOMAEO COPPENIO:

JURECONSULTIS

D. DIONYSIO GODOFREDO.
D. PHILIPPO HOFMANNO.
D. DANIELI NEBELIO.
D. JOHANNI CALVINO:

MEDICIS

D. LUDOVICO GRAVIO.
D. HENRICO SMETIO.
D. JOHANNI LUTZIO:

Digitized by Google

PHILOSOPHIS

D. SIMONI STENIO.
D. JACOBO CHRISTMANNO.
D. AEMILIO PORTO.
D. WOLGANGO LOSSIO.
D. SIMONI PETISCO.
D. REINERO BACHOTIO.
D. JOHANNI BAUMBACHIO.

Dominis Maecenatibus, Patronis, et Praeceptoribus ſuis

D. D. C.

REINHARDUS SOHNIUS.

ORA-

ORATIO HISTORICA

De

FUNDATIONE et CONSERVATIONE

ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS.

Illustrissimi Principes, *generoſi Comites et Barones*, *caeterique Viri nobiliſſimi*, *ampliſſimi*, *clariſſimi*, *et Juvenes ſtudioſi*.

Ut, qui magno beneficio a rege aliquo terreno et mortali affecti ſunt, in id ſedulo incumbunt, ſe gratos ut viciſſim declarent: ita nos omnes Dei immortalis in nos beneficia, quae mortalium hominum beneficentiam imo omnem humanam cogitationem, nedum orationem longe ſuperant, agnoſcere et praedicare decet. Nam et hoc fine nobis ſua bo-

bona largitur Deus tanquam benignus pater, ut nos viciſſim obſtrictos habeat, et hanc a nobis gratitudinem Dominus omnino poſtulat. Sed, quia facilis eſt acceptorum beneficiorum oblivio, ut eorum memoriam conſervaret, externis ceremoniis tanquam adminiculis et ſtimulis interdum uti ad nos excitandos voluit. Ac, ut alia nunc taceam, quae jam olim in veteri Teſtamento ſanxit, *annum* Jubileum an non ideo inſtituit, ut liberationis ex Aegypto et illius temporis memoria conſervaretur, neve terrae partitio ſub Joſua facta intercideret? Erat is annus quinquageſimus quiſque ab eo tempore, quo terram Chanaan Iſraëlitae fuerant ingreſſi: ſic dictus ab Hebraeo Jobel, buccinae ſono, quod tunc cornu arietis clangerent, et hoc clangore Jubileum annum in tota terra edicerent. Spectabatur autem in tribus iſtis rebus, in reſtituta libertate, in nominum ac debitorum remiſſione, denique in reditu ad gentilitatem et priſtinas poſſeſſiones. Nam manumittebantur et libertatem recuperabant ſervi; liberum reditum habebant ad avitas poſſeſſiones, qui neceſſitate coacti eas vendiderant, et ſine precio res venditas ad ſe retrahebant, atque adeo ſingulae tribus ad primam ſortem reducebantur; denique quicquid frumenti ac vini terra ſponte ſua ferebat, id omne commune erat, ut et ſeptimo quoque anno. Itaque captivis, ſervis, ancil-

lis

lis libertas; debitoribus et fundorum venditoribus remiſſio; pauperibus omnium, quae ſponte ſua naſcerentur, communis uſusfructus denunciabatur.

Quod ita ſapientiſſime Deus inſtituit, ne exhaurirentur familiae, aut ex poſſeſſionibus ſuis prorſus ejicerentur, ſed ut ad primam illam ſortem revocatae, liberationis illius ex Aegypto, et introductionis in terram Chanaan recordarentur, et ſe Deo liberatori ac benefactori totos addicerent.

Non ſolum autem corporalis liberatio per Moſen facta, ſed etiam ſpiritualis illa per Chriſtum facienda, et remiſſio peccatorum ac reditus ad poſſeſſionem bonorum coeleſtium, unde excideramus, id eſt, *Jubileus* ille, quem Chriſtus, e mortuis ad dextram Dei evectus, ſancivit, et per Apoſtolos in omnes nationes divulgavit, ſignificabatur. De quo his verbis apud Eſaiam prophetam et Lucam dicitur: *Ut denunciarem captivis libertatem, miſit me* etc. *Eſ.* 61. *Luc.* 4.

Qui Jubileus non, ut Moſaicus ille, in anguſtis Chananaeae terminis buccinarum arietinarum ſonitu, ſed tubarum Euangelicarum clangore, id eſt, voce Apoſtolorum, in toto terrarum orbe edictus fuit. Nec habuit, ut Moſaicus ille, intervalla, ſed ad profanationem ſpiritualem templi ac loci ſancti, ſub Antichriſto factam, duravit in miniſterio verbi et ſacramentorum, atque etiamnum in reformatis Eccleſiis durat.

Hujus Jubilei initium, ut Moſaici finis atque complementum, fuit anno aetatis Chriſti XXX.

Nam hoc anno Chriſti viginti novem quinquagenarii, id eſt Jubilei, et anni XLIX. ab introitu Iſraëlitarum in terram Chanaan elapſi erant. Quo quidem tempore buccinis clangentibus ſignificandum erat, ſequentem annum fore Jubileum. Sed Chriſtus hic, ut praedicationis Euangelii, ita Jubilei Chriſtiani initium fecit nec poſtea Jubileus Moſaicus ullus fuit. Nam ſub tempus ſequentis Jubilei, qui triceſimus primus eſſe debuerat, reſpublica Judaeorum una cum urbe et templo in cineribus jacebat, populuſque per totum orbem terrarum miſerrime diſperſus erat: duravitque hactenus diſperſio et captivitas, ita ut Judaei jam computum Jubilei plane amiſerint ac nullum ſe nunc Jubileum computare poſſe dicant

Jubileum illum poſtea κακοζηλια quadam imitari voluit paſtor ille litanus Papa Romanus: ſed Jubileum futilem, inanem, et commentitium, qui neque Leviticus eſt, neque Chriſtianus, ut facile demonſtrari poſſet, pernicioſo conſcientiarum ludibrio, et veri Jubilei opprobrio excogitavit, et introduxit.

Ac primus omnium hunc inſtituit anno Chriſti MCCC. BONIFACIUS VIII. qui, ſicut fertur, intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus eſt ut canis, et centeſimo quoque anno renovari ac celebrari

juſ-

juſſit, et illis, qui Romam venirent, et ſuas ibi preces ad Divi Petri atque Pauli ſepulchra effunderent, peccatorum omnium plenam remiſſionem, et indulgentias, ut loquuntur, promiſit.

Ab ejus morte, cum nimis longum hoc eſſe temporis intervallum videretur, CLEMENS VI. illud reſtrinxit, quinquageſimo anno jam inſtante, et ad annos L. redegit. Hujus etiam exſtat edictum quo mandat Angelis, ut eos, qui peregrinationis hujus tempore moriuntur, in regnum coeleſte tranſportent.

SIXTUS vero IV. ut XXV. quoque anno beneficium hoc hominibus conferretur, ſanxit. Cujus inſtitutum ſecutus Alexander VI. anno Chriſti MCCCCC. coepit Jubileum non modo Romae, ſed etiam in longinquis provinciis inſtituere.

Hoc tempore nos *hujus* ACADEMIAE annum Jubileum, et quidem quartum Jubileum celebramus. Sed neque Moſaicum illum hic proprie intelligimus, qui adventu Chriſti una cum aliis ceremoniis V. T. abrogatus eſt; neque Chriſtianum, de quo antea diximus, qui communis eſt omnium Chriſtianorum ac fidelium, ſpirituque magis quotidie peragitur, quam certa et ſolenni feſtivitate; multo minus Romanum et Pontificium illum ſuperſtitioni et avaritiae ſedis Romanae accommodatum: verum ſimilitudine quadam Jubileum, et nunc quidem quartum Jubi-

leum hujus Academiae vocamus, quia jam anni cc. atque adeo quatuor quinquagenarii ſunt ab eo tempore, quo haec Academia primum fundata eſt et inſtituta, atque eum hoc tempore ſolenni Oratione celebrare, et fundationem hujus Academiae diuturnamque conſervationem memoria colere, et Deo Opt. Max. gratias agere conſtituimus.

Nam ut a ceremonia illa V. T liberi ſimus, nec eam in uſum revocare debeamus, tamen id, quod morale, et omnium temporum commune eſt, ut praeſtemus, aequum videtur: nempe ut originem et progreſſum hujus Academiae conſideremus, et de fundata ac tot annis conſervata hac Academia Deo gratias agamus.

Et quanquam hoc officium ſemper Deo debemus, ut accepta beneficia grata memoria recolamus: tamen ſi hoc tempore praecipue nos ad id excitaverimus, nihil alienum facere videbimur.

Quam autem vellem, ut alius potius has dicendi partes in ſe recepiſſet, qui et otio et dicendi facultate plus quam ego valeret, et mihi auditori potius eſſe licuiſſet: ſed quid facerem, aliis hanc provinciam detrectantibus?

Dicam igitur deinceps breviter, *primum* quidem de origine et progreſſu hujus Academiae, atque adeo de beneficiis in eam a Deo et ſecundum Deum ab Electoribus Palatinis clementer collatis; *deinde* grati-

arum

arum actionem beneficiis illis debitam inſtituam.

De PRIORE *parte* ita dicam, ut nihil fere, niſi quod in *Actis* hujus Univerſitatis continetur, ſim allaturus.

In altera parte non triumphabimus quaſi malis omnibus perfuncti, ſed in hoc tam perturbato Germaniae et vicinarum regionum ſtatu, pro praeteritis beneficiis gratias agemus, et in poſterum, ut nobis adſit Deus, et nos ac ſcholam noſtram clementer protegat, orabimus. Nam laetitiam mediocrem etiam in triſti rerum ſtatu, et cum gratiarum actione conjunctam Deus ferre poteſt et probat.

Vos oro, quotquot adeſtis, ut me dicentem benigne, et patienter audiatis.

I. *Rupertus Rufus, ſeu Senior.*

FUNDAVIT hanc Academiam RUPERTUS, Elector Palatinus, RUDOLPHI Electoris filius, quem *Rufum* vocarunt et *Seniorem*. Qui, cum intelligeret, ad Eccleſiam et Rempubl. conſtituendam tuendamque quantum momenti in literis ſitum eſſet: cum videret ſtudia doctrinarum, neceſſaria Eccleſiae et Reipublicae, in Germania et alibi pene concidere, quod in ſuperſtitionibus tuendis Canonici et in luxu ſuo explendo occupati eſſent: cum denique intelligeret, curam juventutis recte inſtituendae, quo ad ſapientiam ac virtutes a teneris aſſueſiat, non minus quam curam tuendae amplificandaeque dignitatis, virtute majorum partae atque conſer-

vatae, ad ſe pertinere, nec tam armis, quam ſapientibus conſiliis gubernatori opus eſſe: univerſale ſtudium ſeu Academiam in ſua ditione inſtituendam eſſe cenſuit, atque ad eam rem adhibuit conſanguineos ſuos RUPERTUM, Adolphi fratris ſui jam defuncti filium, qui poſtea dictus eſt *Clem*, et RUPERTUM, Ruperti illius filium, poſtea in regem Romanorum electum: qui aſſenſum ſuum facile praebuerunt.

Itaque horum, ut conſanguineorum, conſenſu ſe fundaſſe ſtudium Heidelbergenſe RUPERTUS *Rufus* ipſe ſcripſit, eoque nomine ſimul hi tres ad Pontificem hanc cauſam egerunt, ut literae teſtantur, locum Academiae delegit in hoc oppido, quod et ob aëris ſalubritatem, et ob rerum ad victum neceſſariarum abundantiam maxime commodum eſſe videretur.

Formam Academiae talem eſſe voluit, qualis tunc erat Academiae Pariſienſis, ut haec illius veluti pediſſequa greſſus imitaretur, et ad illius plane normam diſponeretur et regeretur: atque adeo, ut quatuor in ea eſſent Facultates, ſeu Collegia, ſeu ordines Doctorum; primus Theologorum, alter Jureconſultorum, tertius Medicorum, quartus Philoſophorum: utque a Rectore uno hi omnes gubernarentur: denique ut iiſdem privilegiis uterentur fruerentur.

Erat

Erat tunc Pontifex Romanus URBANUS VI cujus autoritate . ut mos ferebat illorum temporum, ſibi opus eſſe RUPERTUS exiſtimans , ut haec Academia quaſi ſanciretur, ab eo bullam impetravit: eidemque cum poſtea ſucceſſiſſet BONIFACIUS IX., eandem confirmavit.

Reditus et ſalaria RUPERTUS liberaliter conſtituit : privilegia , libertates , et immunitates conceſſit: viros doctos arceſſivit, et quidem de conſenſu et voluntate RUPERTI *Junioris*, et RUPERTI *projunioris* , conſanguineorum , ſuorum , de quibus antea dictum eſt.

Cancellarius hujus Academiae conſtitutus eſt Praepoſitus Eccleſiae Wormatienſis: *Conſervatores* jurium et privilegiorum, libertatum et bonorum hujus Academiae adjuncti *quatuor* , nempe *Decanus* Eccleſiae S. Mariae in Neuſtad , *Abbas* Schonanienſis , *Decanus* Eccleſiae S. Trinitatis Spirenſis, et *Decanus* ad S. Victorem.

In his omnibus illud praecipue ſpectaſſe ſcribitur optimus Princeps , ut gloriam Dei, incrementum fidei Chriſtianae, emolumentum et utilitatem Palatinatus , et hujus oppidi dignitatem promoveret.

Primi *Lectores* extitere , et initium legendi fecere M. MARSILIUS *ab Inghen* S. Theologiae Doctor , quem aetas illa propter opinionem doctrinae ſuſpiciebat: et M. HEILMANNUS *de Wormatia* in Facultate Artium : et M. REGINAL-

NALDUS *Monachus Ciſter. Ordinis*, Theologiae Doctor in Facultate Theologica anno MCCCLXXXVII. XIX. Octobris.

Sed adhuc ſine Capite et Rectore erat nova Univerſitas, donec eodem anno Novemb. XVII. M. MARSILIUS *Rector* crearetur.

Itaque *hic* dies Academiae quaſi NATALIS eſt, quippe quo primus Rector et quaſi Caput eſſe hujus Academiae ante annos CC. coepit.

Hic MARSILIUS Rector primum creatus *matriculam*; poſtea iterum creatus *ſceptrum* Academiae, quo adhuc utimur, fieri curavit. Mortuus anno MCCCXCVI. Aug. XX. eſt ad D. Petrum ſepultus, cum annos ferme IX. hic docuiſſet, et quintum Rector Academiae fuiſſet.

Caeterum fama de Academia percrebeſcente, mox concurſus ſtudioſorum adoleſcentum, ut ex matricula liquet, factus eſt, ſic ut regnaret tamen, aut ſaltem regnare inciperet Scholaſtica illa Theologia, nec ad Philoſophiam et linguam Latinam debitus cultus adhiberetur.

Ita autem nova Academia delectatus fuit RUPERTUS *Senior*, ut eam vocaret dilectam filiam ſuam, et ut parentes tenerius amare liberos teneriores majorique cura complecti ſolent, ita hunc quaſi foetum ſuum complecteretur.

II. *Ruper.* Mortuus eſt anno MCCCXC. XVI. Febr. eique ſucceſſit RUPERTUS ille, qui dictus

ctus eſt *Clem*, Adolphi fratris filius. Nec tantum in Electorali dignitate ſucceſſit, ſed etiam in pietate erga Deum, et amore ſtudioque erga hanc Academiam. *tus Clem.*

Nam praeter ea, quae una cum patruo Anteceſſore ſuo Academiae munifice tribuerat, de domibus etiam proſpexit Profeſſoribus: duos etiam Turonenſes, alterum in Baccharau, alterum in Keiſersweida conceſſit: denique Juris Profeſſoribus ex fiſco ſuo ſtipendia numeravit.

Mortuus eſt anno Chriſti MCCCXCVIII. in die Epiphaniae, ac ſepultus in Schonovia ad pedes Adolphi patris ſui humili ſepultura.

Amantem Dei, beneficum erga pauperes, et munificum erga hanc Academiam fuiſſe, annales hujus Academiae teſtantur.

Succeſſorem habuit RUPERTUM filium, qui cum Electoris et Archidapiferi munus in Romano Imperio biennium aut circiter geſſiſſet, anno MCCCC. die XXI. Auguſti ab Archiepiſcopis et Sacri Imperii Electoribus, Moguntino, Colonienſi, et Trevirenſi Rex Romanorum creatus eſt, ac ſequenti anno coronam regalem Coloniae accepit, regnumque decem annos ſapienter adminiſtravit: vir corpore quidem parvus, ſed animo magnus, ingenio acris, et Reip. perquam amans et ſtudioſus. III. *Rupertus, Romanorum.*

In utraque dignitate Electorali et Regia con-

conſtitutus, ſingularem erga hanc Academiam amorem ſtudiumque declaravit. Nam paulo antequam Rex crearetur, Jus Patronatus trium Eccleſiarum Parochialium Academiae donavit.

Rex creatus, duodecim Praebendae ut Academiae addicerentur, effecit. Pecuniam a ſe datam, ut indulgentiarum anni Jubilei Pontificii, qui tum celebrabatur, ipſe capax eſſet, Academiae aſſignavit, et in uſus ejus convertit. Privilegia et jura Academiae non ſolum ipſe confirmavit et ſarta tecta conſervavit: ſed etiam de iiſdem defendendis et conſervandis duos filios ſuos LUDOVICUM et JOHANNEM Academiae ſolenne juramentum praeſtare voluit anno Chriſti MCCCCI.

Tanta cura ac ſolicitudine optimus Rex erga hanc Academiam afficiebatur, ut poſt mortem ſuam ei etiam proſpectum vellet. Intellexit enim, teneram ſcholam in iſta adoleſcentia vel maxime opus habere tutela atque defenſione: intellexit, facili momento inclinaturam et ruituram hanc Univerſitatem, niſi pio ſtudio, cura, et diligentia Principum Electorum defendatur.

Ac fuit plane tranquillus et florens Academiae ſtatus, dum ipſe ſuperſtes fuit, uno excepto menſe, qui turbulentus et calamitoſus extitit.

Cum enim anno Chriſti MCCCCVI. XII. Julii veſperi a coena duo juvenes ſtudioſi cum

cum quodam aulico rixati a verbis ad verbera veniſſent, atque aulicus ille horribilem clamorem ſuſtuliſſet, factum eſt, ut aulici et alii nobiles, et ignobiles coirent, et in domum M. Johannis *de Francofordia* Profeſſoris hoſtiliter impetum facerent cum lanceis, gladiis, ſecuribus, et aliis armis. Gliſcente tumultu properatum eſt ad templum; pulſatae campanae, mulierculis adjuvantibus. Mox *Sculteto*, Regis nomine et autoritate ſed efficta, imperatum, ut campanae pulſarentur: pulſatae iterum et magis quam antea. Incitatus et animatus populus, quod Regis mandato id fieri crederet, impetus in domum illam major factus, portae oppidi omnes clauſae, clamatum de interficiendis ſcholaſticis et raſis omnibus, et longas tunicas ferentibus. Tumultu et clamore invaleſcente advenit Epiſcopus Spirenſis, et ab oppugnatione domus ut deſiſteretur, Regis nomine mandavit. Sed fruſtra: ita animi exarſerant. Ille, ut innocentes in domo illa ſervaret, indictis Regis nomine induciis, per viam poſteriorem ingreſſus eſt: ibi tum violentius egerunt ſeditioſi, oſtioque anteriore aperto irruerunt. Hic vero clamor et ululatus, hic curſitatio et fuga, aliis ſub ſcamnis, aliis ſub lectis ſe abſcondentibus, aliis per feneſtram erumpentibus et ſaltum periculoſe facientibus, aliis in tectum aſcendentibus et in lateribus domus ſeſe continentibus. Mox

ad

ad necem quaeſiti, qui fugerant; extracti, qui ſub ſcamnis ſe occultaverant; qui vero in tectum aſcenderant et in lateribus domus ſuperius ſe continebant, aut in tegulis haerebant, crudeliter petiti, vel ſagittis in eos emiſſis vel lanceis protenſis, ut cadentes exciperentur. Injuriis, truculentiae, crudelitati additae rapinae, furta, et id genus alia.

In hac rerum perturbatione deliberatum in Academia, ſuſpenſae lectiones ordinariae et extraordinariae cum aliis actibus ſcholaſticis, et Regiae Majeſtati ſupplicatum.

Rex autem, ubi rem percepit, vehementer commotus, omnia ſe neſcio facta, et ſibi iſtud ſeditioſorum hominum facinus omnino diſplicere, oſtendit. Eademque hora clara et expreſſa voce omnibus, qui Univerſitati ſubjecti eſſent, a minimo uſque ad maximum, quoad perſonas ipſorum et bona, ſecuritatem promiſit. Ac mox, tum in aula ſua, tum in oppido vicatim per praeconem equo inſidentem, mortis et amiſſionis bonorum denunciata poena, edixit, ne quis, ſive nobilis ſive ignobilis, ſive civis ſive ruſticus, ullum ex membris Univerſitatis offenderet.

Poſtridie miſit *Conſiliarios* ſuos in Monaſterium Auguſtinenſe, quod nunc Collegium Sapientiae dicitur, et convocatis conſulibus, et civibus hujus oppidi, ne quis membra Univerſitatis offenderet, ſed ſin-

ſinguli potius ea pro virili defenderent et tuerentur, praecepit.]

Tertio die *Ipſe* cum *filiis* ſuis et *Conſiliariis* in idem Monaſterium deſcendit, et convocatis iterum conſulibus et civibus, ne deinceps Univerſitatis et ſcholaſticorum cauſa campanae pulſarentur, ſub poena mortis et amiſſionis bonorum edixit, ac ſimul de tumultu et toto negotio inquiſitionem inſtituit.

Denique, his et ſimilibus conventibus ac deliberationibus habitis, ad Univerſitatem miſit *Epiſcopum Wormatienſem* et alios, qui inter caetera *Regis* nomine proponerent et monerent: 1. *De lectionibus iterum habendis.* 2. *De modo Concordiae inter Univerſitatem et cives ineundae.* Quibus Univerſitas, habita deliberatione, reſpondit ita, ut totum negotium ad Regis arbitrium et clementiam referret: quippe qui et poſſet Academiam defendere, et reos ita puniturus eſſet, ut poena aliis in exemplum cederet, et Academiae in poſterum provideretur; qui denique omnia, quae ad laudem Dei, ad honorem regium, et ad inſtaurationem atque incrementum pertinerent, facturus eſſet.

Interea cum rumor ſpargeretur, juniores Dominos, filios Regis, LUDOVICUM *Seniorem*, STEPHANUM, et OTTHONEM, una cum MATRE *Regina* de Univerſitate minus contentos eſſe, ex eoque murmuratio et contentio inter ſtudioſos

juvenes oriretur, EPISCOPUS WORMATIENSIS Magiſter MATTHEUS *de Cracovia* S. Theologiae Profeſſor et Regis Confeſſor, atque alii quidam PROFESSORES hoc nomine Regem adierunt, omniaque ei ordine expoſuerunt.

Tum REX, habita deliberatione, ſanxit, ut filii ſui et haeredes eorum omnes Univerſitatem hanc, et ejus jura, privilegia, et immunitates jam conceſſas, et deinceps concedendas, pro virili defenderent: utque iidem filii ſui accederent Univerſitatem, ac primum excuſatione uſi oſtenderent, nec voluiſſe, nec velle ſe ulla in re Univerſitatem, vel ejus membra gravare, aut turbare: deinde velle ſe potius eam pro virili defendere, quemadmodum juramenti, jam ante a ſe Academiae praeſtiti, ratio poſtularet. Id quod poſtridie ita ab ipſis factum eſt in domo dicti Epiſcopi Wormatienſis, praeſente Univerſitate et quibuſdam Nobilibus ejus membris, nempe Praepoſito *de Bonne*, cum tribus fratribus Comitibus *de Morſe*, item Margravio *de Baden*, et Comite *de Lewenſtein*, et aliis compluribus.

Hoc eſt Principem eſſe, aut hoc eſt Patrem eſſe? ſi pater fuiſſet RUPERTUS, qui magis curare Academiam potuiſſet? Crevit igitur Academia, hoc tanto patrono freta, et magis ac magis adolevit, et tum Profeſſores docendo, tum ſtudioſi juvenes audiendo dicendoque officium ſedulo fecerunt. Mor-

Mortem autem optimus Rex obiit anno MCCCCX. Maji die XVIII., anno imperii ſui X. in oppido Oppenheim; atque hic in templo ad S. Sanctum a ſe recens condito eſt ſepultus.

Filios reliquit Ludovicum, Johannem, Stephanum, et Otthonem. Ex quibus ei ſucceſſit Ludovicus, qui *Senior* et *Barbatus* dictus eſt: qui, ut vivo adhuc patre Rege juraverat, de quo ſupra dictum eſt, ſe privilegiorum Academiae defenſorem fore, ita re ipſa praeſtitit. IV. *Ludovicus Senior, ſeu Barbatus.*

Anno MCCCCX. ſtatim voluit de ſtatu hujus Academiae, in primis de reditibus ſive proventibus plene cognoſcere. Ac de his Celſitudini ejus, cui fratres aderant D. Stephanus et D. Ottho, in Cancellaria Rector cum quibuſdam Profeſſoribus ſigillatim expoſuit.

In bello, quod adverſus Archiepiſcopum Moguntinum, et Bernhardum Marggravium Badenſem geſſit, ita Academiae proſpexit, ut nihilominus florere literarum ſtudia poſſent.

In tumultu graviſſimo ſcholaſticorum, qui poſtea obortus fuit, admodum benignum ſe et aequum praebuit.

Vulneratus erat noctu a civibus ſcholaſticus quidam, et quarto die poſt ex vulnere mortuus. Adiit Electorem de Conſilio Univerſitatis Rector una cum Doctoribus et Magiſtris aliquot, et M. Jo-

um voluit. Cujus rei gratia ad Univerſitatem venerunt ab ipſo miſſi Dux OTTHO frater, Dux LUDOVICUS filius natu major, DOMINUS WORMATIENSIS et alii, atque Univerſitati diſerte de ſucceſſore nominato expoſuerunt: formam etiam jurandi ipſi tanquam vero Domino praelegerunt: ac Principem Seniorem deinceps abdicare ſe magiſtratu, et vitam contemplativam agere velle dixerunt.

Nominatim quoque in teſtamento ſuo LUDOVICUS cavit, ut Univerſitatis privilegia et jura ſarta tecta conſervarentur, atque ad hoc teſtamentum ſervandum OTTHONEM fratrem juramento ſtrinxit. Denique libros ſuos Theol. Jur. Med. quos haberet in bibliotheca ſua in caſtro *Gettenpuhel* Univerſitati legavit, confectis ea de re literis; et ut poſt mortem ſuam in templo ad Sp. Sanctum reponerentur, voluit.

Tanta cura ſtudioque optimus Princeps hanc Univerſitatem eſt proſecutus.

Non multo poſt, nempe anno MCCCCXXXVI. penultima Decembris diem ſuum obiit, ac poſtridie ſepultus eſt in choro regali Eccleſiae ad Sp. Sanctum.

Fuit hic Ludovicus ille, qui Johannem Pontificatu abdica-

Exequiae ei factae ſunt, praeſentibus filiis, et Johanne atque Otthone fratribus, et Domino Wirtenbergenſi, et Comite de Catzenelnbogen, item Rectore et Univerſitate, et aliis multis, Miſſam pro illorum tem-

tum intercepit, et tres annos in arce Manheim captum tenuit. temporum ſuperſtitione cantante Epiſcopo Wormatienſi, et Decano Spirenſi ut Diacono, ac Decano Wormatienſi ut Subdiacono ei miniſtrantibus etc.

Principem pium et devotum fuiſſe, et ad commodum hujus Univerſitatis promovendum zelum ſingularem habuiſſe hunc LUDOVICUM, majores noſtri in *Actis Univerſitatis* annotarunt.

IV. *Ludovicus Junior.* LUDOVICO patri mortuo ſucceſſit LUDOVICUS *filius*, qui poſtea *Placidus* dictus eſt; qui, quod adhuc adoleſcens eſſet duodecim annorum aut circiter, nec per aetatem ipſe Remp. adminiſtrare poſſet, Tutore et Mamburno, ut loquebantur, uſus eſt, quem pater jam ante nominaverat, OTTHONE Comite Palatino, patruo ſuo, qui annis fere ſex negotia ipſius geſſit, et tutorio nomine ditionem omnem adminiſtravit. *Ottho Ludovici Tutor.*

Initio tutelae et adminiſtrationis Rectori et Senatui libros, a LUDOVICO Seniore paulo ante ſibi legatos petenti, et ut Academiam atque ejus privilegia ſibi commendata haberet, miſſiſque aliquibus de hac ſua voluntate publice in Univerſitate teſtatum faceret oranti, Dux OTTHO per Epiſcopum Wormatienſem benigne reſpondit, ſe et vigore praeſtiti juramenti ad hoc teneri: quippe qui teſtamentum LUDOVICI fratris, in quo de privilegiis Academiae defendendis diſerte cautum eſſet, ſe ſervaturum juraſſet; et ultro etiam

am ad id ipſum propenſum et paratum eſſe; miſſurum etiam ad Univerſitatem aliquos, qui de hac ſua voluntate Univerſitati publice ſignificarent. Poſtridieque Dominum Wormatienſem et alios miſit. De libris autem Univerſitati donatis literas eo nomine confectas ſe inſpecturum eſſe. Sequenti anno factum eſt, ut libri illi in templo S. S. pro Univerſitate reponerentur.

Interjecto tempore, cum injuriam gravem ſcholaſticis quibuſdam intuliſſent vigiles et alii, et ad oppugnandam Burſam concurſus factus eſſet, Adminiſtrator primum oſtendit Univerſitati ſe operam daturum, ut tempore tutelae et adminiſtrationis ſuae privilegia ſarta tecta conſerventur: deinde in autores pro ratione delicti, et pro modo facultatum poenam ſtatuit.

Tutelam etiam deinceps praeclare geſſit, uſque ad annum Chriſti MCCCCXLII. quo tempore LUDOVICUS *Junior*, annos natus XVIII. Rempub. adminiſtrare et Electoris munere fungi ipſe coepit. Huic facta gratulatione Univerſitas humiliter ſe commendavit, et ut privilegia majorum more confirmaret, rogavit: quod et facturum ſe literis eo nomine ſcriptis promiſit, et quanto amore ſtudioque Academiam proſequeretur, multis argumentis oſtendit.

Primum enim ut Univerſitatis reformatio generalis fieret, et ipſa Univerſitas ca-

pita reformationis annotata ſibi oſtenderet, vehementer cum alias tum anno MCCCCXLIV. deſideravit; ac ſcripta ſunt capita illa de tribus Facultatibus, Theologica, Juridica, et Philoſophica, quae in 2. *Tom. Actorum* continentur.

Deinde de domo Dionyſiana iterum erigenda, et legibus munienda ſtabiliendaque cum Univerſitate conſultavit.

Tertio cum eodem anno MCCCCXLIV. adverſus DELPHINUM *de domo Franciae*, multa caſtra et civitates in Alſatia obſidentem, bellum ſuſciperet et jam in procinctu eſſet, ac tumultu orto in oppido vigiles veſperi in quoſdam ſtudioſos adoleſcentes impetum feciſſent, atque eos graviter vulneraſſent: ipſe princeps Elector, auditis partibus, ante ſententiae promulgationem clara voce expreſſaque dixit, ſe privilegia, a majoribus ſuis Univerſitati conceſſa, ſarta tecta ſervare et defendere velle per ſe et per ſuos, quamdiu viveret.

Poſtea ſententiam tulit de vigilibus, qui conflictui interfuiſſent, primum per *Scultetum* cuſtodiendis; deinde pro modo delicti et pro ratione privilegiorum hujus Academiae puniendis.

Sed non diu frui hoc patrono et privilegiorum defenſore Academia potuit. Nam anno MCCCCXLIX. XIII. Auguſti Wormatiae mortuus eſt, et poſtridie hic in choro regali Eccleſiae Sp. Sancti ſepultus, cum

quadriennio ante uxorem duxiſſet MARGARETAM, Ducis Sabaudiae filiam, atque ex ea filium PHILIPPUM procreaſſet.

Exequiae ei pro illius temporis ratione factae ſunt ibidem XIV. Septembris, praeſentibus ducibus STEPHANO et OTTHONE patruis, RUPERTO fratre, Domino de Wirtenberg, Comite de Catzenelnbogen, et aliis multis, Miſſam vero cantante Wormatienſi Epiſcopo.

Succeſſit mortuo PHILIPPUS *filius* unicus, ſed quod adhuc puer et impubes eſſet, nec Remp. gubernare poſſet, pro ipſo FRIDERICUS *patruus* ipſius, qui *Victorioſus* poſtea dictus eſt, gubernationem ſuſcepit, et primum ut *Tutor*, deinde ut *Elector* Remp. adminiſtravit. VI. *Fridericus primus.*

Is primum Rectori et Senatui de tutela et adminiſtratione gratulanti, et ut Univerſitatem ſibi commendatam haberet, atque ejus privilegia, jura, et immunitates more anteceſſorum ſuorum literis ac ſigillo confirmaret, roganti, habita deliberatione, benigne reſpondit, et non multo poſt *literas Confirmationis* ſigillo ſuo munitas dedit, nempe anno MCCCCL.

Deinde anno MCCCCLII. XI. Sept. cum non amplius tutorio nomine, ſed ut dominus terrae hujus Remp. adminiſtraret, et Senatus, publica Oratione per M. NICOLAUM DE WACHENHEIM Theol. Profeſſorem habita, de privilegio-

 rum

rum Univerſitatis ſolenni confirmatione rogaret, iterum clementer reſpondit per Cancellarium, et ſe facturum promiſit; eodemque anno reformationem Univerſitatis ad ejus profectum et incrementum ſcripſit, ſcriptamque omnibus ejus membris, ad Coenobium Auguſtinenſe convocatis; ipſe praeſens per Cancellarium ſuum Magiſtrum JOHANNEM GULDINKOPF propoſuit, et ut ab omnibus ſervaretur, edixit: ſi qui parere, aut in reformationem illam conſentire nollent, eos ſe nec in urbe hac laturum, nec reditum eis ad hunc locum, ſi eo animo exiviſſent, conceſſurum oſtendit.

Cui Univerſitas, habita deliberatione, poſtea in caſtro viciſſim promiſit, ſe, quantum poſſet, obtemperaturam eſſe: ſed ſi qua eſſent per ſuperiorem, nempe Apoſtolicam autoritatem, facienda propter bullas Apoſtolicas, ea ſe Celſitudini ipſius expedienda humiliter committere, et rogare, ut ipſe Univerſitati de his providere dignaretur.

Quod reſponſum Princeps clementer accepit, et viciſſim Univerſitati ſuum ſtudium et auxilium promiſit, ſe jura illius et privilegia defenſurum, et, quae ad incrementum ejus pertinerent, more majorum facturum eſſe.

Cumque hoc tempore ad expugnandum Caſtrum Dominorum de Lutzelſtein iturus eſſet, quod ex diverſis regionibus ſtudioſi ju-

juvenes adeſſent, per Rectorem Univerſitatis *Leges* pro illo tempore dari, et ut ſinguli, quibus Rector praeeſſet, de non inferendo Principi, aut huic urbi aut arci damno, ſed potius avertendo, ſtipulata manu ei promitterent, voluit.

Aliquot annis poſt, nempe anno MCCCCLVII. ut amorem ſuum erga Univerſitatem amplius declararet, et curſum ſtudiorum promoveret, *Jus Patronatus*, quod habuit in duabus Eccleſiis Pfeffingken et Guntheim, Univerſitati donavit.

Eodem anno *literas Confirmationis* privilegiorum ſigillo ſuo munitas Univerſitati dedit, in quibus pro Se et Philippo filio adoptivo conſervationem et protectionem Univerſitatis prolixe promiſit.

Anno MCCCCLX. menſe Februario pro Epiſcopo Moguntino, Theodorico Eiſenburgio, grave bellum geſturus; Academiae hujus curam minime depoſuit.

Adverſabatur Theodoricus ille, ut aliae hiſtoriae teſtantur, injuſtis Pontificum exactionibus quibus Provinciae praetextu belli Turcici expilabantur, et Pio II. Pontifici flagitanti, ut ſe juramento, quo ſucceſſores etiam tenerentur, obſtringeret, videlicet quod in rebus Imperii nihil niſi de conſilio et voluntate Pontificis facere vellet, aſſentiri et parere recuſabat. Quare eum ab Epiſcopatu dejiciens Pius II., Adolphum Naſſaenſem in locum ejus cooptaverat et autoritate Apoſtolica confirmaverat.

Ei-

Eiſenburgio autem ſe adjunxit et ſuppetias tulit FRIDERICUS pro ſui juris, quod ſe habere dixit, defenſione: nihil veritus anathematis Pontificii terriculamenta.

Eodem tempore Udalricus Comes Wirtenbergenſis, et Carolus Marchio Badenſis, et frater ejus Johannes Epiſcopus Metenſis diffidarunt, ut in *Actis* loquuntur, id eſt, bello adorti ſunt Ducem FRIDERICUM, quod et jam ante ei infenſi eſſent, et ad eum oppugnandum ab Imperatore et Pontifice inſtigarentur. Ex quibus omnibus non parvum periculum imminere huic urbi et Univerſitati videbatur.

Sed ita bellum adminiſtratum eſt, ut nec Univerſitas FRIDERICO belligeranti, nec ipſe belligerans Univerſitati deeſſet, aut praejudicium atque damnum afferret.

Nam primum hoc FRIDERICUS egit, ut Rector, ad avertendam ſuſpicionem et pericula, abire juberet eos, qui ex adverſae partis ditione oriundi eſſent.

Deinde ut leges pro tempore, donec bellum finiretur, promulgaret, et Univerſitatem atque ejus membra omnia juramento aſtringeret de commodo Principis promovendo, et damno ab eodem Principe, et hac urbe atque arce avertendo; de defenſione, ſi haec urbs obſideretur aut oppugnaretur, ex praeſcripto Rectoris fide-

deliter praeſtanda; de non ſcribendis, atque alio mittendis literis ad hoc bellum ſpectantibus; de literis atque nunciis aliunde allatis, ſi quid de hoc bello continerent, Rectori patefaciendis; de oppidi et arcis hujus munitionibus, praeſidiis, armatura, ſi quis ante finitum bellum hinc diſcederet, non evulgandis; de illis, qui ſecus facturi eſſent, Rectori indicandis et id genus aliis.

Rector, habita deliberatione, *leges* pro tempore neceſſarias promulgavit, quae in III. *Tom. Actorum* continentur, et de conſilio Univerſitatis ex Doctoribus ac Magiſtris quinque Capitaneos pro ſuperiorum Facultatum ſtudioſis et pro Burſis delegit. Et denunciata poena omnibus injunxit, ut dato per campanam ſigno, vulgo vocant *Sturm*, quisque, quod pro defenſione hujus oppidi a Capitaneo ſuo juberetur, et neceſſitas ipſa poſtularet, faceret.

Rebus in hoc oppido et Univerſitate ſic conſtitutis Dux Fridericus, etſi longe inferior numero militum et apparatu bellico, tamen fortiter aggreſſus eſt hoſtes ſuos, quos dixi, et prope pagum Seckenheim ad Neccarum in campo eos vicit, cepit, Heidelbergam duxit anno MCCCCLXI. die I. Julii, atque aliquanto poſt ſub conditione dimiſit.

Fuit in hoc conflictu cum Duce Friderico, et cum ejus exercitu ſuum conjunxit Eiſenburgius.

Per-

Peracto bello FRIDERICUS cum alia fecit ad commodum Academiae, tum etiam illud voluit, ut teſtamentum patris ſui Domini LUDOVICI de libris Univerſitati legatis obſervaretur, utque ad alium locum magis aptum libri illi transferrentur: de eoque cum Academia conſultavit.

Natus Calendis Augusti anno 1425. Mortuus eſt fortiſſimus princeps anno MCCCCLXXVI. die XII. Decemb. et hic in monaſterio Franciſcanorum ſepultus; ubi etiamnum ejus monumentum viſitur.

Exequiae ipſi factae ſunt anno MCCCCLXXVII. XXVI. et XXVII. Januarii in Eccleſia regali ad S. Sanctum, praeſentibus multis Principibus, Comitibus, et Praelatis, ac Miſſam cantantibus Abbate Schonavienſi et Epiſcopo Wormatienſi.

VII. *Philippus, Friderici ex fratre Lud. III. Manſueto nepos.*

Succeſſit FRIDERICO *patruo* PHILIPPUS ingenuus, qui anno MCCCCLXXVII. II. Januarii ab Univerſitate exceptus, utque privilegia literis ac ſigillo ſuo confirmaret rogatus, clementer reſpondit, et ſe facturum promiſit.

Nec multo poſt, cum per occaſionem de Principis FRIDERICI *patrui* ſui amore erga Academiam ſtudioque honorifice locutus eſſet, non minori ſe amore eam proſequi, nec minus de ſalute et incremento ejus ſolicitum fore oſtendit.

Idem jura Univerſitatis adverſus Capitulum Eccleſiae Spirenſis defendit anno MCCCCLXXXVIII.

MCCCCLXXXVIII. Rogatus etiam de reformatione ac legibus, a FRIDERICO *patruo* ſanciri coeptis, diligenter in eam rem incubuit, poteſtatemque reformandi Academiam hoc nomine ſibi vendicavit, quod non ſolum defenſor, ſed etiam patronus et fundator in majoribus ſuis eſſet.

Anno porro MCCCCXCVIII. Collegium novum Jureconſultorum, in quo habitarent ſtudioſi Juris, et cui duo Profeſſores Juris praeeſſent, inſtitui omnino voluit, atque ea de re ad Univerſitatem ſerio ſcripſit.

Sequenti anno nocturno tumultu inter ſtudioſos et equites (cui etiam LUDOVICUM *ipſius filium* interfuiſſe fama fuit) oborto, cum Univerſitas de injuria ſtudioſis facta, et periculo ac vaſtitate futura ob minas equitum expoſuiſſet, clementer reſpondit, ſe ad puniendum ſontes paratum eſſe; et tunc ac deinceps, quoties res ita ferat, graviter eos puniturum, operamque daturum, ut ſuus Univerſitati honor conſtet, neve aut apud alios ea traducatur, aut detrimentum capiat.

Anno MDIV. cum a Ducibus Bavariae Alberto et Wolfgango, a Friderico Marchione Brandenburgenſi et ejus filiis, a Duce Wirtenbergenſi, a Wilhelmo Haſſiae Landgravio, ab Alexandro Comite Palatino, a Duce Brunſvicenſi et multis Comitibus ac Nobilibus, et a civitate Noribergenſi bellum ei de-

denunciatum eſſet (diffidationem ſeu *uhede* alioqui vocant), et paſſim in vicinis locis turbarum plena eſſent omnia, et ad ipſius perniciem ea res ſpectare videretur: tum alia fecit, quae tuendae regionis ſuae cauſa facere neceſſe fuit; tum etiam, quid ab Univerſitate et ejus membris fieri inſtantis belli tempore vellet, oſtendit. Ac quod ex variis ditionibus hic eſſent, qui literis operam darent, ut pacata eſſet regio ſua, dum ipſe bellum gereret, juramento per Rectorem eos adſtringi voluit, quemadmodum a Duce FRIDERICO in ſimili caſu factum eſſe ſupra diximus, ſalvis interim Univerſitatis juribus et privilegiis; ac poſtea, cum de pace tractandum eſſet, eandem Univerſitatem adhibuit.

Annis quatuor poſt, videlicet anno MDVIII. 1. Martii mortuus eſt in Germersheim, et Heidelbergae ſepultus, cum Remp. bene adminiſtraſſet, ſummoque ſtudio Academiam foviſſet ac promoviſſet.

Sed tamen illud quoque certum, dum ipſe Reip. praefuit, barbariem et ſuperſtitionem, quae jam ante hanc Academiam invaſerat, non parum auctam fuiſſe ac creviſſe. Nam

Et de *ſuppoſitione Vocativi caſus*, nempe an Vocativus eſſet ſuppoſitum. hoc eſt, in praedicatione ſeu propoſitione, ut hodie loquimur, ſubjecti loco poneretur, non ſolum diſputationes, ſed etiam rixae

et

et bella, praeſertim inter ſtudioſos juvenes, mota fuere.

Et de *conceptione Mariae* virginis, quod haec abſque peccato originis concepta et nata ſit, adverſus Monachos Praedicatores ita Franciſcani et alii in hoc oppido contenderunt, ac ſi ea in re ſalutis noſtrae prora et puppis eſſet. Quorum diſputationi, anno MDI. de hac ipſa re inſtitutae, ne intereſſent ſtudioſi, et Princeps Elector Philippus voluit, et de voluntate Principis ſerio Rector mandavit.

Similiter diſſidium *Realium* et *Nominalium*, quod jam ante exortum fuerat, hoc tempore exarſit, atque in primis *Burſas* disjunxit. Cum enim tres Burſae eſſent, Burſa *Dionyſiana* ſeu pauperum, Burſa *Suevorum*, et Burſa *nova:* haec ultima *Nominalis* fuit, caeterae duae *Reales*, in primis Dionyſiana. Ac Burſa quidem *nova*, quae *Nominalium* fuit, affixis publice thematibus, *Thomiſta ſtultior eſt omni homine: Thomiſta, item Realiſta non differt a Chimaera* etc. maximarum rixarum et conflictus cauſa exiſtit.

Filios Philippus Elector plures reliquit, ex quibus Ludovicus natu maximus, qui poſtea *Pacificus* dictus eſt, in Electorali dignitate ſucceſſit anno MDVIII. VIII. *Ludovicus* V. *Pacificus.*

Hic initio gubernationis ab Academia rogatus, ut more anteceſſorum privilegia Univerſitatis literis et ſigillo ſuo confir-

maret ac roboraret, atque eorum ſe fore defenſorem promitteret, non ſolum ipſe fidem dedit; ſed etiam. ut Academiae jurarent Advocatus *der fauth* et Scultetus, ſe effecturum promiſit anno MDIX.

Certe ſemper in id ſedulo deinde incubuit, ut non tantum in priſtino ſtatu permaneret Univerſitas, ſed etiam incrementum caperet: cumque defectus aliquos animadverteret, de eis corrigendis atque reformatione facienda cum Academia ſerio egit anno MDXVIII. et rurſus anno MDXXI. ubi juramentum relaxari omnibus in Univerſitate voluit, ut de defectibus et quae ad incrementum Academiae pertinere judicarent, liberius dicerent: etſi Univerſitas de relaxatione illa interceſſit.

Sequenti anno conſenſu Univerſitatis reformationem fecit, et contubernia omnia Univerſitati incorporavit anno MDXXIII. quo Chriſtophorus, Comes de Henneberg, Academiae Rector fuit.

Cum adverſus ruſticos ſeditioſos bellum gerere omnino cogeretur, ut Univerſitas res ſuas tuto in arce reponeret, permiſit, et de punctis quibuſdam Rectori juramento aſtringi omnes, qui Univerſitati ſubjecti eſſent, et toto belli tempore aſtrictos eſſe, et certis ducibus ac capitaneis ſubeſſe ac parere voluit, de quibus *Tom.* V. *Actorum* p. 41. amplius exponitur.

Erat jam ante coepta literarum humaniorum repurgatio, ac paulatim profliga-

ba-

batur, quae orbem Chriſtianum invaſerat barbaries, aliis Hebraeam, aliis Graecam, aliis Latinam linguam, aliis has, aliis illas Philoſophiae partes inſtaurantibus.

Secuta eſt literarum repurgationem mox doctrinae coeleſtis repurgatio, Luthero in Saxonia, Zuinglio in Helvetia Euangelii ſementem faciente, et regnum ſuperſtitionum, quibus faſcinati animi hominum ſervitutem ſervierant in Papatu multo aſperiorem et periculoſiorem, quam eſt illa corporum ſervitus, fulmine veritatis profligante.

Utramque repurgationem multi paſſim, prioris barbariei et ſuperſtitionis pertaeſi, ac novae rei atque pulchrae admiratione perculſi, avide receperunt.

Sed cunctanter initio haec Academia et Eccleſia egit, quippe in tenebras ſuperſtitionis ita immerſa, vix ut ſe expedire poſſet; cunctanter etiam Aula.

Nam de literis quidem humanioribus inſtaurandis maturam cogitationem atque curam haec Academia ſuſcepit, praeſertim cum in Academia Tubingenſi Johannem Reuchlinum ad Hebraeae et Graecae linguae ſtudia inſtauranda conſtitutum eſſe intellexiſſet.

Anno enim MDXXI., cum multos diſcendarum linguarum cupidos videret, et jacere hic, in vicinis ſcholis inſtaurari ſtudia linguarum, ſeque, rebus ſic ſtantibus, non parum periclitari animadverteret, Col-

legium Philoſophicum, de Eraſmo Roterodamo vocando Univerſitatem oravit.

Anno praeterea ſequenti cum Johanne Oecolampadio, qui inde a PHILIPPI Electoris temporibus Heidelbergae vixerat, de Graeca et Latina profeſſione actum eſt, ſed non peractum; quod ille libertatem legendi S. Scripturam Hebraice, Graece, et Latine ſibi dari poſtularet.

Poſtea vocatus et conductus eſt ad Latinam profeſſionem Hermannus Buſchius, poëta nobilis; ad Graecam primum Simon Grymaeus Graece doctiſſimus anno MDXXII. deinde Jacobus Micyllus anno MDXXIII. ad Hebraeam Sebaſtianus Munſterus ordinis Minorum anno MDXXIV. ut eodem tempore tres eſſent trium linguarum Latinae, Graecae, et Hebraicae eximii Profeſſores.

At in reformatione Religionis, ut Aula, ſic etiam Academia ſuo officio defuit: cum ad ſe derivare novam illam lucem doctrinae coeleſtis, ſingulari Dei gratia jam tum accenſam, aliae Eccleſiae et ſcholae, praeſertim in Germania, paſſim ſtuderent.

Mortuus eſt hic LUDOVICUS Elector anno MDXLIV. XVI. Martii, cum Reip. et Univerſitatis hujus commodum promovere ſedulo ſtuduiſſet. Etſi enim doctrinae Euangelii affulgenti ditionem ſuam et Univerſitatem clauſit: tamen ut pri-

privilegia defenderet et ſtudia literarum proveheret, operam dedit.

Sepultus eſt xix. Martii in choro regali Eccleſiae ad S. Sanctum juxta majores ſuos: ac die xxx. poſt pro veteri conſuetudine ipſi factae ſunt exſequiae.

IX. *Fridericus Secundus.*

Succeſſorem habuit, quod filios haeredes nullos relinqueret, Fridericum fratrem: cui de novi muneris functione gratulata Univerſitas, ut privilegia ab eo confirmarentur, et Advocatus atque Scultetus Academiae juramentum uſitatum praeſtare juberentur, exhibito libello ſupplice petiit. Qui ſe id facturum clementer promiſit.

Et ut ſuum erga Univerſitatem favorem amplius declararet, et, quantopere gloria et incremento Univerſitatis delectaretur, oſtenderet, juſſit, ut defectus et gravamina, ſi qua haberet Univerſitas, indicaret, ac ſuam operam et patrocinium viciſſim pollicitus eſt.

Tum ut Univerſitas, quae defloreſcere quadantenus videbatur, priſtino flori ad decus et ornamentum nobilitatis, et ad Palatinatus atque aliarum regionum emolumentum reſtitueret; utque ſtudia Linguarum, Artium, Theologiae, Juriſprudentiae et Medicinae diligentius colerentur, de quibuſdam ad eam rem neceſſariis cum Univerſitate communicavit, atque ejus judicium requiſivit, ſeque facturum, non ut ſtipendiis poſſeſſores, ſed Univerſitati eſſent Profeſſores, ſignificavit.

Conceſſit quoque tunc Papa *pro autoritate, quam ſe in Academiam habere putabat, ut ſummum magiſtratum in Academia gererent etiam* conjugati, *quo antea coelibes tantum fungi ſolebant.*

Ne injuria aut contumelia ſtudioſos afficerent, neve laceſſerent miniſtri aulici, edixit.

Burſam *Realium* et duodecim Praebendas Univerſitati incorporavit. De paedagogio inſtituendo in Burſa *Suevorum* vehementer laboravit. Collegium Sapientiae inſtituit anno MDLI. et una cum aliis quibuſdam Monaſteriis et Collegiis Univerſitati conceſſit et incorporavit, quum a Paulo III. et ejus ſucceſſore Julio III. facultatem impetraſſet, et ut LX. vel LXXX. adoleſcentes ex illius Auguſti, et reliquorum Monaſteriorum bonis ſuſtentarentur, ſancivit. Traditio Decano Facultatis Artium et duobus Senioribus ſecundum bullam Pontificiam facta eſt. Domui *Dionyſianae* ſeu Burſae pauperum XXX. malteros ſiliginis annuos donavit anno MDXLIX. Fiſcum novum in Univerſitate erexit. De reformatione Univerſitatis generali conſultavit anno MDLI. quam tamen conſultationem primo bellum a Mauritio Saxone et Alberto Marchione adverſus Caeſarem geſtum, deinde mors ipſius impedivit.

Mortuus eſt Alceae anno MDLVI. die XXVI. Februarii, atque hic ſepultus in Eccleſia ad Spiritum Sanctum.

Dignus profecto princeps, cujus cura et ſolicitudo erga literarum ſtudia nunquam non memoria noſtra conſervetur, una in re Academiam felicem minus re-

Etw'n lin-

linquens, quod ab hac Romanum Pontificem adhuc agnoſci anno MDXLIX. et proceſſionibus in Feſto corporis Chriſti cum devotione ſtudioſos intereſſe voluit, atque ſecus facientes graviter multavit.

ut ad profeſſiones, ſola Theologica excepta, admitterentur perſonae Laicae, ſi idoneae eſſe viderentur.

Sed hanc religionis inſtaurationem futuris Electoribus divina Providentia reſervabat, OTTHONI HENRICO, FRIDERICO III. et aliis: qui poſtea tanto vehementius in eam rem incubuerunt, quanto diutius haec antea dilata fuerat.

Quamobrem ſero quidem, ſi alias Academias ſpectes, ſero inquam, haec Academia doctrinam Euangelii eſt amplexa: ſed tarditatem illam zeli ſtudiique vehementia compenſavit. De qua re nunc nobis dicendum erat.

Dicendum de OTTHONE HENRICO, qui anno MDLVI. FRIDERICO II. ſucceſſit: dicendum de FRIDERICO III. qui anno MDLIX. OTTHONI HENRICO ſucceſſit. De quo illud in *Actis Univerſitatis* ſcriptum invenitur: *Anno* MDLXXVI. *die* XXVI. *Octobris obiit* FRIDERICUS III. *Com. Pal. Elector, Religionis repurgatae propugnator & defenſor acerrimus, patronus & aſylum exulum Chriſti, cujus pietatem, fortitudinem, et conſtantiam poſteritas noſtra admirabitur et celebrabit, magis quam aetas noſtra plus ſatis ingrata.*

X. *Otthó Henricus.*

XI. *Fridericus* III.

Dicendum etiam de LUDOVICO, qui anno MDLXXVI. *Friderico* III. patri ſucceſſit. Nam de

XII. *Ludovicus.*

de illuſtriſſimis Principibus et Dominis, Domino Johanne Casimiro Electoris Palatinatus Adminiſtratore, et Domino Friderico Electoralis Palatinatus haerede et Academiae hujus Rectore, cum res ipſa ferme quotidie loquatur et aperte teſtetur, quid attinet dicere?

Sed cum nec tempus ad dicendum ſuperſit, nec de illis breviter dici poſſit, alium diem, aliam horam iſta Oratio poſtulat.

De ſuperioribus Electoribus ſpeciatim dixi, partim quia temporis diuturnitas aliquam eorum oblivionem induxit, partim quia paulo brevius de eis dici potuit.

Nunc ad Alteram *partem* me convertam Orationis, et, ut aequum eſt, de fundata ante annos et hactenus conſervata hac Academia vobiſcum Deo gratias agam; et, ut is deinceps eandem, hoc praeſertim periculoſo tempore, quo regna omnia paſſim commoventur et nutant, clementer et potenter conſervet, orabo. In his deinceps noſtra verſabitur Oratio, in his praecipue Jubileus noſter erit, his diem hunc ſolennem aequum eſt nos tribuere.

Bonitatem igitur et gratiam Dei in fundanda conſervandaque tot annis hac Academia audiviſtis; Principum Electorum ſtudium, operam, et munificentiam ab initio ad hoc uſque tempus audiſtis; ut

omnes

omnes, nullo excepto, dilexerint, fove- rint, defenderint hanc Academiam, et, ut vincere alius alium beneficentia ſtuduerit, audiſtis. Bonitas et gratia Dei, ad Electorum animos excitandos, et ad tantum decus huic regioni atque ornamentum tribuendum, et inter tot pericula tamdiu conſervandum, hic ſingularis.

Studium, opera, et munificentia Principum Electorum nunc ab annis cc. ad tantum decus a Deo collatum atque ornamentum promovendum et propagandum, plane heroica.

Utilitas et fructus hic tantus, ut nemo cogitatione aſſequi, nedum verbis enarrare poſſit. Senſit hunc Aula, ſenſit haec civitas, ſenſerunt caeterae hujus regionis urbes atque pagi, ſenſit denique tota Germania, neque Germania tantum, ſed etiam exterae nationes, et adhuc ſentient.

Quid igitur ſupereſt, niſi ut tam praeclarum Dei opus, tantumque hujus regionis et urbis hujus decus ante oculos ponamus, et ſic intueamur, ſic in eo verſemur, ut et hoc tempore et deinceps corda noſtra in laetitiam Deo gratam, et ora in laudes ipſi debitas reſolvamus.

Gratam memoriam *Fundatae Conſervataeque* Academiae majores noſtri Deo debuerunt; debemus et nos, ſed multo magis quam illi. Nam illius fluxus gratiae et beneficii hujus et brevior fuit et ferme tenuior, quia cum luce doctrinae divinae

et humanae caligo, id eſt barbaries et ſuperſtitio, commixta fuit. Nunc autem et longior eſt fluxus gratiae Dei, et multo uberior atque copioſior. Nam et ab annis cc. nunc ad nos manavit iſta gratia, et ſe hoc poſtremo tempore in literarum divinarum et humanarum repurgatione, quae in hac Academia, etſi ſero, tamen ita facta eſt, ut nulli alii cedere videatur, late extendit. Itaque quanto major eſt gratia Dei, quae nobis contigit, tanto magis nos agnoſcere eam et celebrare decet.

Agite igitur, ut Iſraëlitae in ſuo Jubileo liberationis ex Aegyptia ſervitute memoriam recolebant: ſic nos hodie fundatae inſtitutaeque ante annos cc. Academiae hujus, et liberationis ex barbarie et tenebris ſuperſtitionis, quae poſtea contigit, memoriam grati celebremus.

Conſiderate cum animis veſtris beneficia Dei, quod inſtituerit hanc Academiam, quod hactenus conſervarit, quod hoc poſtremo tempore repurgarit, et in ea lucem doctrinae divinae et humanae accenderit.

Conſiderate, quod vos, illuſtriſſimi Principes, eam ſic repurgatam florentemque intueri voluerit: quod vos, Doctores et Profeſſores clariſſimi, in ea ſic repurgata tanquam in honeſta et laudabili ſtatione collocarit: quod vobis, lectiſſimi juvenes, ſic repurgatam, tanquam officinam literarum inſtructiſſimam, aperuerit atque

etiam-

etiamnum aperiat: et non ſolum voſmet omnes ad amorem Dei atque laudes excitate, ſed etiam alios ad idem ſtudium invitate.

Hoc illud eſt ſtudium, hoc officium; hoc obſequium, quod pro iſto beneficio ſibi viciſſim a vobis reddi Deus poſtulat: hoc eſt quod remuneratur.

Hoc ſi ipſi, ut par eſt, praeſtiterimus, non ſolùm hoc, quod accepimus beneficium, conſervabimus, ſed etiam ad nova danda ipſum provocabimus. Nam gratitudo cuſtos eſt accepti beneficii: et gratiarum actio ad novum beneficium dandum eſt invitatio. Oblivio autem et expellit quae adſunt beneficia, et quae adeſſe poſſent repellit. Neque enim ferre Deus oblivionem et contemptum beneficiorum ſuorum poteſt, ſed graviter ulciſcitur atque punit.

Quam ob rem ſi vobis ſancta eſt voluntas Dei, ſi chara utilitas veſtra, ſi experiri benedictionem potius quam maledictionem, et a poena immunes atque liberi eſſe vultis, hanc cogitationem curamque mecum ſuſcipite, et quod vult Deus, et quod nobis utile atque ſalutare eſt, mecum praeſtate.

Te igitur, aeterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, benefactorem noſtrum, te autorem et conſervatorem hujus inclytae Academiae, in qua jam verſamur, agnoſcimus et palam profitemur: Te

Te vero amore atque honore viciſſim proſequimur, et Tibi ſtudium atque obſequium noſtrum, imo nos totos addicimus et conſecramus: Tibi ſit laus et gloria in ſecula. Amen!

Cogitate etiam, Auditores, conſilium, ſtudium, operamque Principum Electorum; conſiderate, quanta prudentia hanc ſcholam aperuerint, quanto zelo atque favore inde ab initio proſecuti ſint: et debitam laudem viciſſim tribuite.

Et quia nec ſtare deinceps, nec florere aut fructum ferre haec Academia ſine Dei beneficio et munere poteſt, iterum ad Deum confugiamus, et pro incolumitate ejus ſupplices oremus.

Te igitur, aeterne Deus, ardentibus votis oramus, ut hanc Academiam, ornamentum Palatinatus, domicilium et perfugium Orthodoxorum, et nobiliſſimum literarum Emporium deinceps protegas et defendas; ut ſtudiis docentium et diſcentium benedicas, tranquillitatem largiaris; ut illuſtriſſimos Principes noſtros et Dominos, Dominum JOHANNEM CASIMIRUM, et Dominum FRIDERICUM, qui jam hic adeſſe et nobiſcum fundationem et conſervationem hujus Academiae memoria repetere voluerunt, et quorum opera ad tuendam hanc Academiam uteris, diu ſalvos et incolumes conſerves; ut arceas ab illis et a nobis domeſticos et exteros hoſtes, et truculenta eorum conſilia diſſipes. Vos

Vos autem, illuſtriſſimi Principes, hanc Academiam, a majoribus veſtris jam olim Dei beneficio fundatam et hucuſque conſervatam, ut hactenus feciſtis, deinceps amore ac favore proſequimini, et commoda ejus procurate.

Exſtruant alii palatia, pyramides, coloſſos, urbes, arces: Vos Eccleſias, Scholas, Collegia aedificate, doctrinam Euangelii promovete. Hac laude nulla major eſſe poteſt; haec ſola perpetuo manet nec exſtingui poteſt, ut laudes aliae omnes pereant; hac denique Fridericus III. Pater et Avus veſter praecipue floruit atque etiamnum floret.

Dixi de origine et progreſſu hujus Academiae, id eſt, de beneficiis Dei et amore ac ſtudio Electorum erga hanc Academiam; ſubjeci gratiarum actionem beneficiis convenientem ac preces. Veſtrum eſt, beneficia illa atque ſtudium gratis animis ſemper agnoſcere atque praedicare. Quod in vobis Deus Pater propter Chriſtum Filium per Spiritum Sanctum utinam faciat! Amen!

F I N I S.

VITIA TYPOGRAPHICA.

Pag. 145. in Not. JOH. CHR. HEUMANNUS lege CHRIS. AUGUST. HEUMANNUS.
- - 150. in Not. *Deſcriptio Orbis* lege *Deſcriptionem Orbis.*
- - 153. in Not. *Luiſcie* lege *Luiſcii.*
- - 267. in Marg. *Rupertus Romanorum* lege *Rupertus*, *Rex Romanorum.*

Vitia, quae in tabella *pag.* 177. occurrunt, non mihi, ſed typographo, inopia typorum laboranti, imputato. Alia, quae minoris ſunt momenti, praetereo.

L. 2. 130

301

Digitized by Google

Digitized by Google

4.3.130

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

00564895

Digitized by Google

Digitized by Google

Mei

Digitized by Google